DE PRÆPOSITIONUM USU

APUD

ÆSCHYLUM.

DISPUTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

ESAIAS LALIN

Lic. Philos. ad Scholam Norrcop. Adjunctus

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MAJORE A. D. III ID. APR.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

TYPIS DESCRIPSIT EDV. BERLING

MDCCCLXXXV.

Quum viros doctissimos jam antea de præpositionum usu apud alios scriptores Græcos egregias dissertationes scripsisse viderem, me operam non perditurum esse existimavi, si præpositiones apud Aeschylum usurpatas, quantum possem, describere conatus essem, quem scriptorem præ ceteris mihi tractandum esse putavi. Primum enim aliquot abhinc annos in scriptis ejus legendis versor, quamobrem aliquid, quod utilitati esset, si possem, edere libenter volui. Deinde quum sermonem Aeschyli a loquendi usu ceterorum scriptorum non paulum recedere inter omnes constaret, non inutile fore putavi, si explorare potuissem, quid in præpositionibus adhibendis ejus proprium esset, quid ei cum aliis commune.

Antequam ad singulas res pertractandas transeo, mihi liceat de ea ratione, quam in hoc opusculo conscribendo secutus sum, pauca dicere. Primum illud monitum velim, quum scripta Aeschyli ad nos pervenerint multis locis corrupta atque depravata, fieri non potuisse, quin in locos incertæ scripturæ inciderem. Quamquam tales locos inveniebam multos, tamen nullam conjecturam umquam ipse protuli ea causa adductus, quod acervum conjecturarum minus probabilium in dies sane ad immensum crescentem aliis augere nolebam, quum certam emendationem me facere posse plane diffiderem. Itaque quum corruptum quendam locum offenderem, iis conjecturis, quæ ab optimis criticis Hermanno, Dindorfio, Weilio jam prolatæ sunt, contentus fui. Quarum conjecturarum quum critici illi quandam omnes approbassent, eam sine ulla dubitatione accipiendam esse putabam, quum autem eos inter se dissentire viderem, præstantissimam eligere, quantum poteram, conabar. Deinde quum in singulis præpositionum notionibus describendis versatus locos, qui mihi erant tractandi, ab optimis commentatoribus Blomfieldo, Paleio, aliis jam antea præclare explicatos esse reperirem, eorum interpretationes mihi afferendas esse putavi, ut locum, qui ad manum erat, illustrarent. Tum quomodo aptissime in ordines classesque præpositiones redigerem, quum mecum cogitarem, magnam utilitatem me cepisse confiteor et ex Ellendtii lexico Sophocleo, cui operi egregio permulta debeo, et ex eo libro, quem scripsit Menge[1]). Quem in multis secutus sum, neque tamen in eo, ut de compositis separatim dissererem. Quam dissertationis partem quamquam haud parvi momenti esse putabam, tamen omisi, quia eam elaborare mihi nunc tempus defuit.

---

1) Menge: De præpositionum usu apud Aeschylum, Göttingen 1863. Quo libro continentur præpositiones ἀντί, πρό, ὑπέρ, ἀπό, ἐκ, ἀνά, εἰς, κατά, διά; ceteras autem præpositiones, quæ quantum scio, nondum sunt descriptæ, hoc opusculo tractavi. Jam antea de præpositione ἐν dissertationem scripsi, quam dissertationem paulum mutatam nunc rursus imprimendam esse putavi, ut omnes præpositiones, quæ mihi essent describendæ, in uno eodemque libello tractarem.

I. De præpositionibus cum dativo conjunctis.

ΕΝ.

1. *De forma.* Homericas formas **ἐνί, εἰν, εἰνί** apud Aeschylum frustra quæres. Nam versus Suppl. 871[1]), ubi codex Mediceus *εἰν αὔραις* præbet, corruptus est[2]); forma **ἔνι** autem illa quidem invenitur Prom. 294, Pers. 738. Ag. 78, sed verbi (**ἐνεῖναι**), non præpositionis partes agit.

2. *De significatione.*

A) Locali notione

a) e *quiescendi* verbis suspensa præpositio aliquem vel aliquid in aliquo loco esse et versari indicat. Qui usus quamquam tam frequens tamque vulgatus est, ut exempla, quibus hæc significatio affirmetur, afferantur non sit necesse, tamen fortasse non alienum erit animadvertere præpositionem hac notione utentem tribus diversis modis adhiberi, id quod nos docet Kühner[3]).

α) Primum enim, ut jam diximus, præpositio significat aliquid *in* aliquo loco esse, i. e. aliquid aliqua re circumdari; quam significationem Kühner germanice interpretatur »das Eingeschlossen-Umgebensein».

Ex. Prom. 452. ***ἔναιον — ἄντρων ἐν μυχοῖς ἀνηλίοις.*** Ag. 774. ***Δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν δυσκάπνοις δώμασιν.*** ibid. 971 ***ψῦχος ἐν δόμοις πέλει.*** Choeph. 579. ***φύλασσε τὰν οἴκῳ,*** et sæpissime ita. Huc refero Ag. 1528, Suppl. 228, ibid. 416 ***ἐν Ἅιδου,*** ubi nota cum ellipsi dativus ***δόμοις*** vel tale quid subauditur.

β) Deinde præpositio usurpatur ad indicandum *res rebus impositas* esse, quam notionem Kühner germanice explicat »das Aufeinandersein».

Ex. Prom. 143. ***σκοπέλοις ἐν ἄκροις φρουρὰν — ὀχήσω.*** ibid. 336. ***κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις ἥμενος.*** Sept. 389. ***πανσέληνος ἐν μέσῳ σάκει — πρέπει.*** Choeph. 572. ***κἀκεῖνον ἐν θρόνοισι εὑρήσω πατρός,*** ibid. 975, et sæpe ita.

---

1) Versuum numeros desumpsi ex Dindorfii editione ex poetarum scenicorum editione quinta expressa, Leipzig 1869.

2) Hermann *ἀερίαισιν αὔραις*, Weil autem *ἀερίαις ἐν αὔραις* habet.

3) Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache von D:r Raphaël Kühner: 2:te Auflage. Hannover 1872. II. 1. p. 401.

γ) Tum præpositio aliquem *juxta* aliquid esse exprimit, quam significationem Kühner germanice interpretatur »das An — und Beieinandersein».

Ex. Sept. 160 *κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.* ibid. 249 *ἀραγμὸς δ' ἐν πύλαις ὀφέλλεται.*

Ceterum apparet præpositionem hac notione positam non solum ex quiescendi verbis, sed etiam ex aliis suspensam inveniri, quibus quid in quodam loco fieri in universum indicatur.

Ex. Sept. 746 *τρὶς εἰπόντος ἐν μεσομφάλοις Πυθικοῖς χρηστηρίοις.* Ag. 923. *ἐν ποικίλοις — κάλλεσιν βαίνειν.* ibid. 936 *ἐν ποικίλοις — βῆναι.* ibid. 1224 *ἐν λέχει στρωφώμενον.* Choeph. 745 *ἄλγη δύσοιστα τοῖσδ' ἐν' Ἀτρέως δόμοις τυχόντ'.* Sept. 566 *εἴθε γὰρ θεοὶ τούσδ' ὀλέσειεν ἐν γᾷ*, et sæpissime ita.

Sequuntur exempla, quæ quum ab exemplis supra allatis paullum recedant, ab iis sunt segreganda. Primum enim præpositio, quum in locutionibus prœlia indicantibus usurpatur, non potius *locum* prœlii quam *tempus*, quo fit prœlium, exprimere videtur. Qui usus ad eam tralationem, cui mera temporis notio inest, viam præmunire videtur, de qua vide infra.

Ex. Sept. 163. *πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχᾳ.* ibid. 926 *πολυφθόρους ἐν δαί.* Ag. 438. *ταλαντοῦχος ἐν μάχᾳ δορός.* Choeph. 161 *ἐν ἔργῳ βέλη 'πιπάλλων.* ibid. 948. *ἔθιγε ἐν μάχᾳ χερὸς ἐτητύμως Διὸς κόρα.*

Tum restant nonnulli loci, quos quamquam mera *loci* notio iis non inest, tamen hic collocavi: Eum. 757. *ἔν τε χρήμασι οἰκεῖ πατρῴοις.* Pers. 605 *βοᾷ δ' ἐν ὠσὶ κέλαδος οὐ παιώνιος.* Suppl. 708. *τρίτον τόδ' ἐν θεσμίοις Δίκας γέγραπται.* ibid. 947. *ἐν πτυχαῖς βίβλων κατεσφραγισμένα.* Quæ exempla de ea significatione, quam infra (B. c.) tractabimus, nos quodammodo præmonent.

b) E verbis autem *motum* pingentibus suspensa præpositio aliquid, quum aliquo promotum sit, ibi versari et manere indicat[1]). Qui usus ut apud Aeschylum admodum frequens esse ostendatur, quæcunque exempla inveni, hic afferam.

Ex. Prom. 863. *δίθηκτον ἐν σφαγαῖσι βάψασα ξίφος.* Pers. 125. *βυσσίνοις δ' ἐν πέπλοις πέσῃ λακίς.* ibid. 408. *εὐθὺς δὲ ναῦς ἐν νηῒ χαλκήρη στόλον ἔπαισεν.* Ag. 565. sq. *εὖτε πόντος ἐν — κοίταις — εὕδοι πεσών*, quod exemplum hanc notionem dilucide explanat, quia hic præpositio et movendi et quiescendi ex verbo suspenditur. ibid. 1128 *πίτνει δ' ἐν ἐνύδρῳ τεύχει.* ibid. 1172. *ἐγὼ δὲ θερμὸν ῥοῦν τάχ' ἐν πέδῳ βαλῶ*[2]). Choeph. 36 *γυναικείοισιν ἐν δώμασιν βαρὺς πίτνων.* Eum. 18. *ἵζει τέταρτον τόνδε μάντιν ἐν θρό-*

---

1) Quam significationem Kühner (II. 1. pag. 469) explicat his verbis: »Das Verb der Bewegung involvirt den Begriff der erfolgten Ruhe, wenn die Præpositionen mit dem Dative statt der Præpositionen mit dem Akkusative stehen».

2) Musgravii conjecturam (*θερμὸν ῥοῦν*) accipiendam esse putavi.

νοις. ibid. 785, *λειχήν — κηλῖδας ἐν χώρᾳ βαλεῖ.* ibid. 858. *σὺ δ᾽ ἐν τόποισι τοῖς ἐμοῖσι μὴ βάλῃς — θηγάνας.* Suppl. 32. *πρὶν πόδα χέρσῳ τῇδ᾽ ἐν ἀσώδει θεῖναι.* Fragm. 321. *τὸνδ᾽ ἐν ῾ροθοῦντι κριβάνῳ θήσω.* Prom. 618[1]) *ὅστις ἐν φάραγγι σ᾽ ὤχμασε.* ibid. 396. *σταθμοῖς ἐν οἰκείοισι κάμψειν γόνυ.* Pers. 413. *ὡς δὲ πλῆθος ἐν στενῷ — ἤθροιστ᾽.* Suppl. 282. *Κύπριος χαρακτήρ τ᾽ ἐν γυναικείοις τύποις εἰκὼς πέπληκται.* Ag. 845. *ἀγῶνας θέντες ἐν πανηγύρει.* Choeph. 92. *χέουσα τόνδε πέλανον ἐν τύμβῳ πατρός.* ibid. 343. *παιὰν μελάθροις ἐν βασιλείοις νεοκρᾶτα φίλον κομίσειεν.* ibid. 349. sq. *λιπὼν ἂν εὔκλειαν ἐν δόμοισι τέκνων τ᾽ ἐν κελεύθοις ἐπιστρεπτὸν αἰῶ κτίσας.* ibid. 529. *ἐν σπαργάνοισι — ὁρμίσαι.* ibid. 662. *καθιέναι ἄγκυραν ἐν δόμοισι.* ibid. 795. *ζυγέντ᾽ ἐν ἅρματι πημάτων.* Eum. 195. *οὐ χρηστηρίοις ἐν τοίσδε — τρίβεσθαι μύσος,* quod Paley recte interpretatur »not to inflict a pollution on».

B. Translatæ significationes.

a) Ab illa primaria loci et spatii notione profecta est ea tralatio, quum præpositio non de locis et spatiis, sed de *vestibus* et *armis*, quibus quis indutus est, et quæ sunt alia hujusmodi, dicitur. Inter quem præpositionis usum duas paullo diversas rationes puto posse discerni.

α) Una est enim ratio, quum in locutionibus *quietem* indicantibus præpositio ponitur.

Ex. Prom. 423. *ὀξυπρῴροισι βρέμων ἐν αἰχμαῖς,* (ubi Wecklein aptissime confert Eur. El. 321 *σκῆπτρ᾽, ἐν οἷς Ἕλλησιν ἐστρατηλάτει,* Xen. Mem. III. 9. 2. *ἐν πέλταις καὶ ἀκοντίοις διαγωνίζεσθαι*). Fragm. 305. *θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ;* de *vestibus* autem dicitur Ag. 1271. *κἀν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην.* Pers. 277. *φέρεσθαι πλαγκτοῖς ἐν διπλάκεσσιν,* ubi Hermann monet amplas Persarum vestes intelligendas esse, quæ in mari natantibus late expansæ huc illuc ferebantur; prorsus eadem est significatio, quum præpositio de equorum habenis dicitur, ut Sept. 461 *ἵππους δ᾽ ἐν ἀμπυκτῆρσιν ἐμβριμωμένας.* Pers. 193. *ἐν ἡνίαισί τ᾽ εἶχεν εὔαρκτον στόμα;* huc fortasse pertinet etiam Fragm. 345. *ἐν διρρυμίᾳ πῶλοι.* Neque vero multo dissimilis est usus, quum præpositio de olivarum, ut ita dicam, vestibus, i. e. frondibus dicitur, ut Pers. 616 *τῆς τ᾽ αἰὲν ἐν φύλλοισι θαλλούσης βίον ξανθῆς ἐλαίας καρπός.* (cfr Xen. Cyr. 2. 3. 4).

β) Altera autem est ratio, quum præpositio cum *movendi* verbis conjungitur. Quæ significatio ab ea, quam supra (A. b) tractavimus, recta via profecta est.

Ex. Eum. 634. *ἐν δ᾽ ἀτέρμονι κόπτει πεδήσασ᾽ ἄνδρα δαιδάλᾳ πέπλῳ.* Ag. 1126. *ἐν πέπλοισι μελαγκέρων λαβοῦσα,* quæ exempla ad vestem spectant, qua irretitum Agamemnonem Clytæmnestra interfecit. Neque vero dissimilis est præpositionis usus, quum de *vinculis*, quibus corpora constringuntur, et quæ sunt alia hujusmodi, dicitur, ut, Prom. 6 *τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀρρήκτοις πέδαις;* ibid. 462. *κἄζευξα*

---

1) Qui sequuntur loci, iis in exemplis, quæ supra (A. a) attulimus, fortasse minus recte posuit Wellauer.

πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα. ibid. 579 τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοσύναις. Suppl. 788. θέλοιμι δ' ἂν μορσίμου βρόχου τυχεῖν ἐν ἀρτάναις. Restant vero duo exempla, quæ quamquam præpositio hic non ex movendi verbis suspenditur, tamen hic collocavi, quum eandem fere sententiam, ac superiora, præbeant; Prom. 168. κρατεραῖς ἐν γυιοπέδαις αἰκιζομένου. ibid. 562. χαλινοῖς ἐν πετρίνοισιν χειμαζόμενον, ubi observemus præpositionem cum dativo conjunctam indicare, quod etiam solo instrumentali, quem vocant, dativo exprimi potuerit eadem fere manente sententia[1]).

b) A locali notione deducitur etiam ea tralatio, quum de *animo* præpositio usurpatur. Quo usu præpositio et ex *quiescendi* et ex *movendi* verbis suspenditur; cum illis conjungitur Pers. 165. μέριμν' ἄφραστος ἔστιν ἐν φρεσί. Ag. 1084 μένει τὸ θεῖον δουλίᾳ περ ἐν φρενί. Choeph. 704. πρὸς δυσσεβείας δ' ἦν ἐμοὶ τόδ' ἐν φρεσί, quod cum Bothio interpretari velim »attamen religioni mihi duxi apud animum». Eum. 679. ἐν δὲ καρδίᾳ — ὅρκον αἰδεῖσθε, quod vertas »juramentum apud animum revereminі»; huc vero refero etiam Prom. 381. ἐν τῷ προθυμεῖσθαι δὲ καὶ τολμᾶν τίνα ὁρᾷς ἐνοῦσαν ζημίαν, ubi de virtutibus animi dicitur præpositio, quid boni iis insit, explicans. Cum *movendi* autem verbo conjungitur præpositio, Choeph. 450 τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶ γράφου; consimile vero exemplum invenies Soph. Tript· θὲς ἐν φρενὸς δέλτοισι τοὺς ἐμοὺς λόγους.

c) Ab illa primaria et locali notione deducenda est ea tralatio, quum præpositio de *hominibus* usurpata aliquem *inter* homines esse et versari indicat. Qua utens significatione præpositio duobus modis adhibetur.

α) Una est enim tralatio, quum præpositio cum verbis *quietem* significantibus conjungitur.

Ex. Prom. 310 νεὸς γὰρ καὶ τύραννος ἐν θεοῖς. Ag. 465. ἐν ἀίστοις τελέθοντος οὔτις ἀλκά. Eum. 95 sq. ἐγὼ — ἀπητιμασμένη ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται. ibid. 411 ἐν θεαῖσι — ὁρωμένας. ibid. 721. ἀλλ' ἔν τε τοῖς νέοισι καὶ παλαιτέροις θεοῖς ἄτιμος εἶ συ. Suppl. 230 κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ' — Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν. Prom. 442. τἀν βροτοῖς δὲ πήματα. Ag. 750 παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος τέτυκται. ibid. 763. sq. φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεάζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν, quod vertamus *solet autem vetus injuria inter malos homines novam parere injuriam.* Choeph. 60 τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον. Eum. 233. δεινὴ γὰρ ἐν βροτοῖσι κἀν θεοῖς πέλει τοῦ προστροπαίου μῆνις. ibid. 915 τήνδ' ἀστύνικον ἐν βροτοῖς τιμᾶν πόλιν. ibid. 987. πολλῶν γὰρ τόδ' ἐν βροτοῖς ἄκος. Suppl. 479. ὕψιστος γὰρ ἐν βροτοῖς φόβος. Sept. 684. μόνον γὰρ κέρδος ἐν τεθνηκόσι, quod Hermann vertit »solum enim apud inferos lucrum est».

Sequuntur loci, qui quamquam non plane eandem, quam superiores, habent notionem, tamen hic sunt collocandi, quippe quum præpositio de hominibus dicatur. Ab illa

1) Quid tamen inter illas constructiones intersit, vide infra.

enim superiori significatione deducenda esse videtur ea, quæ invenitur Pers. 172. *πάντα γὰρ τὰ κέδν᾽ ἐν ὑμῖν ἐστί μοι βουλεύματα*, ubi præpositio, *penes* quos quid sit, indicat; cujus usus plura exempla collecta invenies apud Blomfieldum in Pers. Gloss. v. 177. et in Ellendtii Lexico Sophocleo[1]). Aliam autem notionem habet præpositio Choeph. 773. *ἐν ἀγγέλῳ γὰρ κρυπτὸς ὀρθοῦται λόγος*, ubi *ἐν* interpretamur *coram*, quæ interpretatio adnotatione Paleii fulcitur »The meaning is, that a confidential message can only be rightly and safely communicated by a personal interview of the bearer»; atque eadem significatio statuenda est Eum. 469 *πράξας γὰρ ἐν σοὶ πανταχῇ τάδ᾽ αἰνέσω*, quod græce Schütz recte explicat *πράξας γὰρ τὴν δίκην ἐν σοί, πανταχῇ τάδ᾽ αἰνέσω ἃ σὺ κρίνεις*, itemque Paley interpretatur »For however I may have fared before you (at your tribunal) I shall be content».

β) Altera autem est tralatio, quum præpositio cum verbis *motum* indicantibus conjungitur. Quo usu præpositio eandem fere, quam supra (A. b.) tractavimus, habet notionem, sed eam tralaticiam, quippe quum de hominibus, non de locis fiat mentio.

Ex. Prom. 973. *καὶ σὲ δ᾽ ἐν τούτοις λέγω*, ubi præpositio, *inter* quos quis numeretur, indicat. ibid. 250 *τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα*. Eum. 862. *ἐν ἀστοῖσιν ἱδρύσῃς Ἄρη*. Neque vero multo dissimilis est usus, quum præpositio inimicitias inter aliquos intercedere significat, ut Prom. 200 *στάσις τ᾽ ἐν ἀλλήλοισιν ὠροθύνετο*. Pers. 188 *τούτω στάσιν τιν᾽ — τεύχειν ἐν ἀλλήλαισι*. Cui *inimicitias* declaranti notioni etiam hæc exempla sunt accensenda Choeph. 951 *ὀλέθριον πνέουσ᾽ ἐν ἐχθροῖς κότον*[2]). Eum. 176. *ἕτερον ἐν κάρᾳ μιάστορ᾽ — πάσεται*, quod Weil vertit »alium in suo capite scelestum sibi parabit». (cfr Soph. Ai. 1315 *ἐν ἐμοὶ θρασύς*. ibid. 366 *ἐν ἀφόβοις με θηρσὶ δεινὸν*. ibid. 1092. *ἐν θανοῦσι ὑβριστὴς γένῃ*). A quo inimice *facta* indicante usu facilis est transitus ad eam tralationem, quæ inimicius *dicta* significat, ut Suppl. 994. *πᾶς δ᾽ ἐν μετοίκῳ γλῶσσαν εὔτυκον φέρει κακήν*, quod Bothe recte vertit »unusquisque enim erga inquilinos promtus est ad maledicendum».

d) Ab *loci* significatione præpositio ad *conditionem*, qua quid agitamus, declarandam transfertur. Qui usus in tres diversas notiones distrahitur.

α) Una enim est, quum præpositio in quo vel corporis vel animi *statu* quis versetur, indicat. Cujus usus hæc exstant admodum varia exempla.

Primum enim præpositio dicitur de felicitate, qua quis utitur, ut Prom. 540 *φαναῖς θυμὸν ἀλδαίνουσαν ἐν εὐφροσύναις*. Sept. 795 *πόλις ἐν εὐδίᾳ*. Ag. 929. *ὀλβίσαι δὲ χρὴ βίον τελευτήσαντ᾽ ἐν εὐεστοῖ φίλῃ*. Eum. 996 *χαίρετ᾽ ἐν αἰσιμίαισι πλούτου*, quod Paley, itemque Dindorf[3]), interpretatur »in the possession of the blessings of wealth». De cala-

1) Ellendt: Lexicon Sophocleum, Berlin 1872. pag. 240.
2) E codicum scriptura ita Weil; Schütz, Hermann *ἐπ᾽ ἐχθροῖς*, quod non necessarium videtur.
3) G. Dindorf: Lexicon Aeschyleum, Fasc. prior, Leipz. 1873. p. 13 sub v. *αἰσιμία*.

mitatibus autem, in quibus homines versantur, præpositio usurpatur Sept. 1001. *δαιμονῶντες ἐν ἄτᾳ.* Choeph. 202. *οἵοισιν ἐν χειμῶσι — στροβούμεθα.* Eum. 559. *καλεῖ δ' ἀκούοντας οὐδὲν ἐν μέσᾳ δυσπαλεῖ τε δίνᾳ.* Sept. 187. *μήτ' ἐν κακοῖσι μήτ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ.* ibid. 227. *πολλάκι δ' ἐν κακοῖσι τὸν ἀμάχανον — ὀρθοῖ.* Pers. 840 *χαίρετ' ἐν κακοῖσι ὅμως ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ.* ibid. 851 *οὐ γὰρ τὰ φίλτατ' ἐν κακοῖς προδώσομεν.* Eum. 276 *διδαχθεὶς ἐν κακοῖς.* Fragm. 369. *ἐν τοῖς κακοῖς μὴ τεθυμῶσθαι θεοῖς.* Ag. 446. *τὸν δ' ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντα* (cfr Soph. Ant. 697 *αὐτάδελφον ἐν φοναῖς πεπτῶτα*). Tum præpositio colloquium inter quosdam factum indicat, ut Suppl. 200 *μηδ' ἐφολκὸς ἐν λόγῳ.* Choeph. 665. *αἰδὼς γὰρ ἐν λέσχαισιν οὐκ ἐπαργέμους λόγους τίθησι.* ibid. 679 *πεύθομαι γὰρ ἐν λόγῳ,* quibus locis *ἐν λέσχαισι, ἐν λόγῳ* interpretamur *inter colloquendum;* a quo usu non multum abest hoc exemplum Suppl. 173. *νῦν ἔχων παλίντροπον ὄψιν ἐν λιταῖσιν.* Sequuntur exempla variæ notionis: Sept. 506 *θέλων ἐξιστορῆσαι μοῖραν ἐν χρείᾳ τύχης,* quod Paley interpretatur »willing to ascertain his fate at the call of Fortune». ibid. 665 sq. *οὔτ' ἐν τροφαῖσιν — οὔτ' ἐν γενείου ξυλλογῇ τριχώματος Δίκη προσεῖδε — οὔτ' ἐν πατρῴας μὴν χθονὸς κακουχίᾳ παραστατεῖν πέλας,* Ag. 1079. *οὐδὲν προσήκοντ' ἐν γόοις παραστατεῖν;* e simili autem verbo præpositio suspenditur etiam Choeph. 987 *ὡς ἂν παρῇ μοι μάρτυς ἐν δίκῃ ποτέ,* quod scholiastes recte explicat *ἐν τῇ κρίσει τῶν Ἐρινύων.* — Sept. 599. *ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδέν,* itemque Eum. 278 *ἐν δὲ τῷδε πράγματι φώνειν ἐτάχθην.* — Ag. 419 *ὀμμάτων δ' ἐν ἀχηνίαις ἔρρει πᾶσ' Ἀφροδίτα,* quod vertamus *in oculorum inopiis omnis venustas perit.* Suppl. 86. (*Διὸς ἵμερος*) *φλεγέθει κἂν σκότῳ.* Choeph. 62 sq. *ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει, τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου ἄχη χρονίζοντα βρύειν,* quod optime vertit Weil »justitiæ impressio subita scelestos invenit in luce versantes, mala, (quæ illis reservantur) in tenebrarum confiniis, jamjam eruptura sed tardantia impetum suum»[1]). Suppl. 746. *πολλοὺς δέ γ' εὑρήσουσιν ἐν μεσημβρίας θάλπει.* Choeph. 796 *ἐν δρόμῳ προστιθεὶς μέτρον,* quod Hermann vertit »modum adhibens in cursu». Eum. 521 *τίς δὲ μηδὲν ἐν δέει καρδίαν ἔτ' ἀνατρέφων*[2]). ibid. 749. *τὸ μάδικεῖν σέβοντες ἐν διαιρέσει.* ibid. 865. *θυραῖος ἔστω πόλεμος — ἐν ᾧ τις ἔσται δεινὸς εὐκλείας ἔρως.* — Sept. 936 *νείκεος ἐν τελευτᾷ.* ibid. 706. *δαίμων λήματος ἐν τροπαίᾳ χρονίᾳ.* Ag. 1237 *ὥσπερ ἐν μάχης τροπῇ.* ibid. 1392 *γανεῖ σπορητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν.* ibid. 179 *στάζει δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας μνησιπήμων πόνος,* quod Hermann interpretatur »instillat et in somno cordi moderationem admonitor malorum labor». ibid. 891. *ἐν δ' ὀνείρασι — ἐξηγειρόμην.* Choeph. 531. *αὐτὴ προσέσχε μαστὸν ἐν τὠνείρατι.*

---

1) Emendationem Weilii attuli, quæ ad codicum scripturam proxime accedens optimum præbet sensum.

2) Quæ est Hermanni conjectura; Weil autem habet *τίς δὲ μηδὲν ἐν φάει καρδίας φύλακα τρέμων,* ubi *ἐν φάει* interpretatur »in rebus lætis».

Ad quos hic tractatos locos pauca adnotata velim. Primum enim animadvertamus præpositionem nonnullis in exemplis poni, ubi sine ullo sententiæ damno omitti potuit, ut Prom. 539 *φαναῖς θυμὸν ἀλδαίνουσαν ἐν εὐφροσύναις*. Eum. 276 *διδαχθεὶς ἐν κακοῖς*, quæ exempla, si præpositio omissa esset, non haberent, quod desideraretur; luculentius autem hunc usum explanat Sept. 1001. *δαιμονῶντες ἐν ἄτᾳ*, quippe quum etiam alibi idem verbum cum solo dativo conjungatur, ut Choeph. 566 *δαιμονᾷ δόμος κακοῖς*. Neque tamen id ita dictum voluerim, quasi plane supervacanea esset præpositio; immo vero quum præpositio propriam et suam vim retinet, tum sensus uniuscujusque enuntiati præpositione accuratius atque elegantius exprimitur, quam si ea careamus.[1]) Deinde observemus nonnulla exempla, quamquam hic recte collocata esse puto, tamen nos ita quoque posse interpretari, ut temporalis significatio præpositioni inesse videatur, ut Sept. 936, 706. Ag. 1237, 1392, 179, 891. Choeph. 531; quod adnotatum velim, ut quam inter se sint similes quamque inter se cohæreant præpositionis notiones, ostendatur.

β) Altera vero est tralatio, quum præpositio *certo quodam tempore facta* significat.

Ex. Prom. 379. *ἐάν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ*. Pers. 495. *νυκτὶ δ' ἐν ταύτῃ θεὸς χειμῶν' ἄωρον ὦρσε*. Ag. 320. *Τροίαν Ἀχαοὶ τῇδ' ἔχουσ' ἐν ἡμέρᾳ*. ibid. 522. *φῶς ἐν εὐφρόνῃ φέρων*. ibid. 653. *ἐν νυκτὶ δυσκύμαντα δ' ὠρώρει κακά*. ibid. 720. *ἐν βιότου προτελείοις*. ibid. 65. *διακναιομένης τ' ἐν προτελείοις κάμακος*. ibid. 969. *θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνεις μολόν*. ibid. 1666. *ἀλλ' ἐγώ σ' ἐν ὑστέραισιν ἡμέραις μέτειμ' ἔτι*. Eum 105. *ἐν ἡμέρᾳ δὲ μοῖρ' ἀπρόσκοπος φρενῶν*. Suppl. 732. *χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ*. Ag. 551. *ἐν πολλῷ χρόνῳ*. ibid. 610. *ἐν μήκει χρόνου*. Suppl. 56 *γνώσεται δὲ λόγους τις ἐν μάκει*. Ag. 857, Choeph. 1040, Eum. 498, 998, Suppl. 138, 938 *ἐν χρόνῳ*.

γ) Tertia autem est ratio, quum præpositio a conditionis notione transfertur ad significandum, quomodo quis certum quendam statum ad se aliquam in partem spectantem ferat. Quo usu præpositio ex *gaudendi* et *confidendi* verbis vel, quæ sunt alia hujusmodi, suspenditur.

Ex. Suppl. 766 *ἐν ἀγκυρουχίαις θαρσοῦσι*. Coeph. 222. sq. *ἀλλ' ἐν κακοῖσι τοῖς ἐμοῖς γελᾶν θέλεις, κἀν τοῖς ἐμοῖσιν εἴπερ ἐν τοῖς σοῖς ἐγώ*. ibid. 137 *ἐν τοῖσι σοῖς πόνοισι χλίουσι μέγα*. quod vertimus *iis, quæ labore tuo parta sunt, superbiunt*. (cfr. Suppl. 914 *κάρβανος ὢν δ' Ἕλλησιν ἐγχλίεις ἄγαν*). Ag. 1612. *ὑβρίζειν ἐν κακοῖσιν οὐ σέβω*. (cfr. Soph. Ai. 1151 *ὃς ἐν κακοῖς ὕβριζε τοῖσι τῶν πέλας*). — Perbene notum est illa verba sæpius cum solo dativo conjuncta inveniri; quamvis autem utramque verborum constructionem, si sententiam uniuscujusque enuntiati in universum respicias, eandem fere vim habere facile concedas, tamen aliquantum inter eas interest, quippe quum ubique fere

1) Unus tantum est locus, ubi præpositio pæne supervacanea esse videtur, Pers. 604 *ἐν ὄμμασιν τἀνταῖα φαίνεται θεῶν*; tamen etiam hic fortasse primariam præpositionis notionem non plane evanuisse statuamus.

præpositio localem notionem quodammodo retineat atque eo accuratius sententiam explanet. Quod discrimen quale esset, vidit Paley, quum ad Choeph. v. 222 adnotaret »more usually ἐγγελᾶν κακοῖς, with the notion of derision not *in*, but *at*, misfortunes».

e) Alia vero est notio, quum præpositio, *qua re* quid fiat, indicat. Quo usu præpositio explicat, quod nullo sententiæ damno exprimi potuit solo *instrumentali*, quem vocant, *dativo*[1]).

Ex. Prom. 425. ἐν πόνοις δαμέντ'. Pers. 251 ἐν μιᾷ πληγῇ κατέφθαρται πολὺς ὄλβος. Choeph. 248. θανόντος ἐν πλεκταῖσι καὶ σπειράμασι δεινῆς ἐχίδνης. ibid. 557. ἐν ταὐτῷ βρόχῳ θανόντες. ibid. 494 αἰσχρῶς τε βουλευτοῖσιν ἐν καλύμμασιν, πέδαις δ' ἀχαλκεύτοις ἐθηρεύθης, qui versus hunc usum dilucide explanat; nam quamquam utrumque enunciatum eodem verbo regitur, illic quidem usurpatur, hic autem omittitur præpositio. — Sept. 25 ἐν ὠσὶ νωμῶν καὶ φρεσὶν — χρηστηρίους ὄρνιθας. ibid. 414. ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ. ibid. 468. βοᾷ δὲ χοὖτος γραμμάτων ἐν συλλαβαῖς. Suppl. 935. τὸ νεῖκος δ' οὐκ ἐν ἀργύρου λαβῇ ἔλυσεν. Ag. 730. μηλοφόνοισιν ἐν ἄταις δαῖτ' — ἔτευξεν. Choep. 430. δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς — ἔτλας ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι. Huc pertinent nonnulla exempla, ubi præpositio ex *accipiendi* et *tenendi* verbis suspenditur; ex illis vero suspensa invenitur Suppl. 481. κλάδους — ἐν ἀγκάλαις λαβών. Fragm. 299. τραύματ' ἐν στέρνοις λαβών; ex his autem suspenditur Ag. 723. ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις. Edon. 55. ἐν χερσὶν βόμβυκας ἔχων. Sept. 473. κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων, ubi præpositioni prorsus eadem notio inest, sed ea tralicia; quæ hujus loci tralatio quid in universum valeret, vidit Blomfield, quum interpretaretur »cujus jactatio in agendo constat». Choeph. 160 Σκυτικά τ' ἐν χεροῖν — βέλη 'πιπάλλων, quod exemplum a superioribus non multum abest. Huc refero etiam Ag. 889 ἐν — ὄμμασιν βλάβας ἔχω.

f) Alia autem est notio, quum præpositio, *qua ratione* quid fiat, explicat. Quo usu eadem manente sententia præpositio omitti potuit atque *dativo modi*, quem vocant, locus esset.

Ex. Sept. 280 τοιαῦτ' ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως θεοῖς μηδ' ἐν ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμασιν, qui locus hanc notionem dilucide declarat, quippe quum locutioni ἐν — ποιφύγμασιν respondeat φιλοστόνως adverbium; Ag. 1384. κἀν δυοῖν οἰμώγμασιν μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα. Choeph. 876. οἴμοι μάλ' αὖθις ἐν τρίτοις προσφθέγμασιν. Neque minus insigniter docent hæc exempla Ag. 918 μὴ γυναικὸς ἐν τρόποις ἐμὲ ἅβρυνε. Eum. 441 ἐν τρόποις Ἰξίονος, ubi vocibus rationem significantibus additur præpositio. — Fragm. 72. ἀλλ' ὁ μέν τις Λέσβιον — κῦμ' ἐν τριγώνοις ἐκπεραινέτω ῥυθμοῖς. Choeph. 533. ὥστ' ἐν γάλακτι θρόμβον αἵματος σπάσαι, quod Bothe recte vertit »ita ut una cum lacte grumum sanguinis educeret». — Pers. 366 τάξαι νεῶν μὲν στῖφος ἐν στοίχοις τρισίν. Fragm.

---

1) Quid tamen inter eas constructiones intersit, vide quæ supra (B. d. α p. 8) adnotavimus.

407. *ἐν λόχῳ τ' ἀπείρονι εὔξασθε*, quibus locis de ratione aliquos collocandi dicitur præpositio. Choeph. 227. *ἰχνοσκοποῦσά τ' ἐν στίβοισι τοῖς ἐμοῖς*, ubi qua ratione (vestigiis perscrutandis) Orestem recognoverit Electra, explicat præpositio. Cui *rationis* notioni accensenda sunt etiam hæc exempla: Pers 713. *πάντα γὰρ ἀκούσει μῦθον ἐν βραχεῖ λόγῳ.* Choeph. 613. *ἄλλαν δή τιν' ἐν λόγοις στυγεῖν φοινίαν Σκύλλαν.* Eum. 20 sq. *τούτους ἐν εὐχαῖς φροιμιάζομαι θεούς. Παλλὰς προναία δ' ἐν λόγοις πρεσβεύεται.* Suppl. 270. *μνήμην ποτ' ἀντίμισθον ηὗρετ' ἐν λιταῖς.* Antequam ad alia transeo, mentionem faciamus de quadam præpositionis notione, quæ quum ab ea, quam modo hic tractavimus, proxime absit, in ejus quasi confiniis quodammodo versari videtur. Quam dico notionem, est ea quum præpositionem *ἐν* interpretamur *secundum*; cujus usus hæc exstant exempla. Ag. 685. *γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμων*, ubi *ἐν τύχᾳ* svetice vertimus *i enlighet med den stundande skickelsen.* ibid. 1615 *οὔ φημ' ἀλύξειν ἐν δίκῃ τὸ σὸν κάρα δημορριφεῖς — ἀράς*, ubi *ἐν δίκῃ* interpretamur *secundum justitiam*[1]) Suppl. 544 sq. *διχῇ δ' ἀντίπορον γαῖαν ἐν αἴσᾳ διατέμνουσα πόρον κυματίαν ὁρίζει*, quod Weil vertit «disterminatque terras oppositas secundum fatum freto maritimo transnato». Ag. 1289 *οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει.* Eum. 4. *ἐν δὲ τῷ τρίτῳ λάχει — Τιτανὶς ἄλλη — καθέζετο.*

g) Sequuntur locutiones mere adverbiales. Inter quas tres variæ rationes possunt discerni.

α) Una est enim ratio, quum ad præpositionem cum substantivo conjunctam verbum quoddam additur.

Ex. Choeph. 145. *ἐν μέσῳ τίθημι.* Prom. 239. *ἐν οἴκτῳ προθέμενος.* Pers. 166. *ἐν τιμῇ σέβειν.* Ag. 570. *ἐν ψήφῳ λέγειν.* Prom. 741. *ἐν προοιμίοις εἶναι.* Pers. 591. *ἐν φυλακαῖς εἶναι*, i. e. *custodiri.*

β) Altera vero est harum locutionum ratio, quum præpositio cum solo substantivo conjungitur verbo plane omisso.

Ex. Suppl. 735. *μῆκος δ' οὐδὲν ἐν μέσῳ χρόνου*, ubi ad *ἐν μέσῳ* scholiastes recte addit *τῆς ἡμῶν φυγῆς καὶ τῆς τούτων παρουσίας.* Ag. 1240, 1448, Prom. 747 *ἐν τάχει*, i. e. *ταχέως;* quinquies legitur locutio *ἐν μέρει*, i. e. *vicissim*, Ag. 332. *πρὸς οὐδὲν ἐν μέρει τεκμήριον.* ibid. 1192. *ἐν μέρει ἀπέπτυσαν εὐνὰς ἀδέλφου.* Eum. 198. *ἀντάκουσον ἐν μέρει.* ibid. 436. *τί πρὸς τάδ' εἰπεῖν — ἐν μέρει θέλεις*, ibid. 586. *ἔπος δ' ἀμείβου πρὸς ἔπος ἐν μέρει τιθείς*, cujus usus plura exempla collegit Blomfield ad Ag. gloss v. 323. — Pers. 443 *αὐτῷ τ' ἄνακτι πίστιν ἐν πρώτοις ἀεί*, ubi locutio *ἐν πρώτοις* partes adjectivi cujusdam agit, quod latine interpretemur *præcipuus*; quæ locutionis significatio ab ea præpositionis tralatione repetenda esse videtur, quæ inter quos quis numeretur, in-

---

1) Bothe vertit »in judicio»: quæ interpretatio et ipsa est probanda; quæ si accepta erit, hoc exemplum *conditionis* notioni (B. d. *α*) accensebitur: cfr illic citatum versum Choeph. 987.

dicat[1]). Adjectivi autem vis etiam his locutionibus inest Eum. 606 *ἐν αἵματι*, quæ locutio idem valet, quod *consanguineus*, itemque Choeph. 287 *ἐν γένει*, i. e. *cognatus*; (cfr Soph. Oed. R. 1006, ibid. 1422).

γ) Tertia autem est ratio, quum præpositio sine casu dicta *adverbii* instar ponitur, cujus usus unum exstat exemplum Fragm. 304 *ἐν δ' ἥλιος πυρωπὸς ἐκλάμψας χθονὶ τήκει πετραίαν χιόνα;* (de quo usu cfr Ellendt. Lex. Soph. pag. 238).

ΣΥΝ.

De forma. Utra forma (*σύν* aut *ξύν*) accipienda sit, paucis explanabo[2]). Æschylum utraque forma usum esse versus docent, quorum metrum vel *σύν* vel *ξύν* postulat. Plurima sunt exempla, quæ *σύν* postulent, sed duo tantum sunt exempla, quæ *ξύν* postulent (Prom. 521 *ὃ ξυναμπέχεις*, Sept. 839 *ἅδε ξυναυλία*) vel tria, si cum Dindorfio legimus Ag. 144 *τέρπνα ξύμβολα*. Quum autem notissimum sit librarios temere et interdum cum metri vitio modo *σύν* modo *ξύν* scripsisse, quæritur, utra forma ceteris versibus tribuenda sit, quorum metrum utramque fert. — De *senariis* hæc præcipienda puto. Ac primum quidem *initio senarii* perpetuo fere *ξύν* reperitur, et simplex quidem Pers. 777, Choeph. 1035, Eum. 457, 1024, in compositis vero *ξύνθαλπε* Prom. 685, *ξύνοικος* Sept. 188, *ξυνοίσετον* ibid. 510, *ξυνεῖναι* Pers. 177, *ξυνώμοσαν* Ag. 650, Choeph. 978, *ξυναινέσασα* Ag. 1208, *ξύμβουλος* Eum. 712, *ξυνῆκας* Suppl. 467, *ξύμπεμψον* ibid. 493[3]). Deinde in quinto pede senarii, quum creticus finem trimetri facit, præcedente syllaba finali brevi, vel quæ ei par habetur, voce enclitica brevi, necessario *σύν*, non *ξύν* scribitur, ut Prom. 758 *ἰδοῦσα συμφοράν*. Sept. 611 *ἀνοσίοισι συμμιγείς*. Pers 291 *ἥδε συμφορά*. ibid. 793 *δὲ συμμαχεῖ*. Ag. 8 *τὸ σύμβολον*. ibid. 884 *ὥστε σύγγονον*. Eum. 585 *δὲ συντόμως*. Fragm. 171 *ἔνθα συμβολάς*. Prom. 460 *γραμμάτων τε συνθέσεις*. ibid. 487 *ἐνοδίους τε συμβόλους*. Eum. 291 *τε συμμάχον*. Hæc certa esse videntur, plura autem præcipit Dindorf, quum dicit poetas post cæsuram *πενθημιμερῆ*, ubi syllaba quinta brevis esset, *σύν* dicere maluisse quam *ξύν*, quod syllabam præcedentem produceret. Ita vero *σύν* simplex semel legitur Eum. 610, in compositis autem Prom. 496, ibid. 974. Pers. 350, ibid. 445, ibid. 471, Ag. 629, ibid. 1184, Choeph. 19, ibid. 906, Eum. 415, ibid 694[4]). Quam legem nonnumquam

1) Cfr Prom. 973, quod exemplum supra (B. c. β. pag. 6) attulimus.

2) De hac re Dindorf (Lex. Aeschyl. pag. 339) multa atque præclara dixit, e quibus adnotationes meas desumpsi.

3) Tamen quinquies *σύν* legitur, et simplex quidem Ag. 1221, Choeph. 148, in compositis vero *σύμφθογγος* Ag. 1187, *συνεξελαύνει* Ag. 1606, *σύνοιδα* Choeph. 217.

4) Tamen duobus locis in compositis *ξύμ* legitur Pers. 528 *πιστοῖσι πιστὰ ξυμφέρειν βουλεύματα*, Suppl. 342 *ἀλλ' ἡ δίκη γε ξυμμάχων ὑπερστατεῖ*, ubi haud dubie *συμφέρειν* et *συμμάχων* scribendum esse docet Dindorf.

etiam post cæsuram *ἐφθημιμερῆ* servatam invenies Pers. 846, Choeph. 497, Suppl. 457. De *canticis* autem nihil certi affirmari posse videtur. Tamen etiam in his initio versus sæpissime *ξὺν* legitur, et simplex quidem Choeph. 460, Eum. 945, in compositis vero *ξυμβολεῖ* Sept. 352, *ξύννομον* ibid. 354, *ξυμμαχίᾳ* Ag. 213, *ξυνανύτει* ibid. 1123, *ξυμφορά* Choeph. 31, Eum. 509, *ξυζύγους* Choeph. 599, *ξυλλάβοι* ibid. 812, *ξυμφέρει* Eum. 520, *ξύμμετρον* ibid. 531, *ξυντίθησι* Suppl. 65. Tamen *σύν* legitur Ag. 1549, Suppl. 22, ibid. 975.

De significatione.

Quamquam omnes præpositiones primario sensu semper fere locum indicant concedendum est, tamen ea loci significatio perraro præpositioni *σύν* inesse videtur. Quæ quum ita essent, nihil causæ esse existimavi, cur localem notionem præpositionis *σύν* a translatis significationibus distinguerem, sed omnes notiones uno eodemque loco tractavi.

a) Primaria atque usitatissima notio præpositionis est ea, quæ communionem et consortium una versantium et conjunctorum significat, quam significationem Mommsen germanice interpretatur »Die durch *σύν* angeknüpfte Sache oder Person erscheint im Ganzen weniger als gleichberechtigt oder an Umfang oder Zahl überwiegend (wie bei *μετά*) sondern als das Secundäre, oft geradezu als Anhängsel«[1]). Quo usu præpositio cum dativo conjuncta raro e verbo suspenditur, sæpissime autem ad substantivum aut nominativo aut accusativo positum ita refertur, ut præpositio dativo addita pæne idem significet, quod etiam conjunctione copulativa (*καί*) sequente aut nominativo aut accusativo exprimi potuit. In exemplis autem enumerandis ita mihi faciendum esse putavi, ut verborum, quæ in exemplis inveniuntur, rationem haberem, non quod præpositionem ex iis suspensam esse censerem, sed quia rationem, quam in ceteris præpositionibus describendis secutus sum, omittere nolebam.

α) Primum quidem præpositio ita de hominibus pari ordine conjunctis dicitur.

Ex. Ac primum quidem *σύν* ita semel in exemplo legitur, ubi verbum *quiescendi* invenitur, Sept. 605 *ξύν πολίταις ἀνδράσι δίκαιος ὤν.* Deinde *σύν* ita usurpatur in exemplis, ubi verba movendi inveniuntur, ut Ag. 619 *ἥκει σύν ὑμῖν*, Choeph. 561 *ἥξω σὺν ἀνδρὶ τῷδε.* ibid. 768 *εἰ ξὺν λοχίταις εἴτε καὶ μονοστιβῆ*, ubi e præcedentibus verbum movendi (*μολεῖν*) supplendum est, Suppl. 176 *ξὺν φρονοῦντι δ' ἥκετε πιστῷ γέροντι*, ibid. 744. *ἔπλευσαν — μελαγχίμῳ σὺν στρατῷ*, ibid. 954 *σὺν φίλοις 'οπάοσι στείχετε.* Sept. 282 *ἐγὼ δέ γ' ἄνδρας ἓξ ἐμὸι σὺν ἑβδόμῳ — τάξω.* Pers. 126 *πᾶς γὰρ — λεὼς σμῆνος ὥς ἐκλέλοιπεν μελισσᾶν σὺν ὀρχάμῳ στρατοῦ*, ibid. 202 *σὺν θυηπόλῳ χερὶ βωμὸν προσέστην*, ibid. 780 *κἀπεστράτευσα πολλὰ σὺν πολλῷ στρατῷ.* Tum præpositio in exemplis invenitur, ubi leguntur verba alia atque ea, quæ modo sunt allata, ut Sept. 263 *σὺν*

1) T. Mommsen: Entwickelung einiger Gesetze für den Gebrauch der Griech. Präpositionen, p. 38, Frankfurt à M. 1874 (Gymnasial-programm).

ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον. ibid. 604 *ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει.* ibid. 764 *δέδοικα δὲ σὺν βασιλεῦσι μὴ πόλις δαμασθῇ.* Choeph. 244 *Κράτος τε καὶ Δίκη σύν τῷ τρίτῳ — Ζηνί.* Eum. 457 *ξὺν ᾧ (Ἀγαμέμνονι) σὺ Τροίαν ἄπολιν — ἔθηκας* Suppl. 1036 *δύναται γὰρ Διὸς ἄγχιστα σὺν Ἥρᾳ.* Fragm. 40 *σὺν κόροις τε καὶ κόραις.*

β) Deinde præpositio ita de animalibus vel rebus pari dignitate compositis usurpatur.

Ex. Ac primum quidem *σύν* ita in exemplis usurpatur, ubi verba movendi inveniuntur, ut Ag. 111 *πέμπει σὺν δορὶ καὶ χερὶ θούριος ὄρνις.* Choeph. 1022 *ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστροφῶ,* Suppl. 33 *πρὶν πόδα — θεῖναι ξὺν ὄχῳ ταχυήρει.* Deinde *σύν* etiam in exemplis usurpatur, ubi leguntur verba alia atque ea, quæ modo sunt allata, ut Suppl. 182 *ὄχλον δ'ὑπασπιστῆρα — λεύσσω ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ'ὀχήμασιν.* Eum 945 *μῆλα τ' εὐθενοῦντα γᾶ ξὺν διπλοῖσιν ἐμβρύοις τρέφοι.* Suppl. 845 *εἴθε — δεσποσίῳ ξὺν ὕβρει γομφοδέτῳ τε δόρει διώλου.* Ag. 156 *τοιάδε Κάλχας ξὺν μεγάλοις ἀγαθοῖς ἀπέκλαγξε.*

Adn. Jam supra dixi præpositionem in exemplis, quæ modo sunt allata, sæpissime ad substantivum aut nominativo aut accusativo positum referri. Tamen inveniuntur exempla, ubi præpositio dativo adjuncta ad verbum potius quam ad substantivum referri videtur, ut Ag. 619, Choeph. 561, ibid 768, ibid. 1022, Suppl. 176, quæ exempla supra attuli. Restat vero unum exemplum, ubi præpositio dativo addita cum verbo conjungenda esse videtur, Sept. 675 *ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι,* in quo exemplo præpositionem in enuntiatione poni observandum est, ubi de inimicitiis inter quosdam intercedentibus dicitur, quæ notio non multum abesse videtur ab ea, quæ invenitur Soph. El. 302 *ὁ σὺν γυναιξὶ τὰς μάχας ποιούμενος.*

b) Ab illa primaria notione proxime abesse videtur ea significatio, qua præpositio indicat, cujus auxilio aliquid fiat. Quo usu præpositio vulgo dici solet de *diis*, quibus adjuvantibus aliquid fit, ut Ag. 912 *τὰ δ' ἄλλα φροντὶς — θήσει δικαίως σὺν θεοῖς εἱμαρμένα,* ibid. 961 *οἴκοις δ'ὑπάρχει τῶνδε σὺν θεοῖς — ἔχειν.* Choeph. 147 *ἡμῖν δὲ πομπὸς ἴσθι τῶν ἐσθλῶν ἄνω σὺν θεοῖσι καὶ γῇ καὶ δίκῃ νικηφόρῳ.* Sept. 450 *Ἀρτέμιδος εὐνοίαισι σύν τ' ἄλλοις θεοῖς.* Quamquam de *homine* præpositio dicitur, huc referendum esse videtur etiam Pers. 775 sq. *τὸν δὲ — Ἀρταφρένης ἔκτεινεν — ξὺν ἀνδράσι φίλοισιν.*

c) Alia vero est notio, qua præpositio dicitur de iis, quæ nobiscum habemus. Quo usu præpositio usurpatur de rebus corpus tangentibus velut veste, armis vel iis quæ gestantur manibus.

Ex. Primum quidem *σύν* ita de veste et armis, vel potius de armatura dicitur Sept. 31 *σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ.* Deinde *σύν* de iis usurpatur, quæ gestantur manibus, Choeph. 1035 *ξὺν τῷδε θαλλῷ καὶ στέφει προσίξομαι,* Suppl. 22 *ἀφικοίμεθα σὺν τοῖσδ' ἱκετῶν ἐγχειριδίοις ἐριοστέπτοισι κλάδοισι,* ibid. 158 *ἱξόμεσθα σὺν κλάδοις.* Ag. 1211 *σὺν ἐντέροις τε σπλάγχν' — πρέπουσ' ἔχοντες.*

d) Alia autem est notio, qua præpositio indicat, qua re aliquid fiat. Quo usu præpositio explicat, quod etiam solo instrumentali, quem vocant, dativo exprimi potuit; neque tamen præpositio supervacanea esse videtur, sed dativo addita juvandi significationem habere putanda est.

Ex. Ac] primum quidem σύν ita de *rebus* dicitur, ut Sept. 885 τί δὴ διήλλαχθε σὺν σιδάρῳ, Ag. 1351 καὶ πρᾶγμ' ἐλέγχειν σὺν νεορρύτῳ ξίφει. Pers. 755 πλοῦτον ἐκτήσω σὺν αἰχμῇ. Deinde σύν ita de substantivis abstractis dicitur, ut Pers. 775 τὸν δὲ σὺν δόλῳ — ἔκτεινεν. Sept. 876 πατρῴους δόμους ἑλόντες μέλεοι σὺν αἰχᾷ. Choeph. 782 γένοιτο δ' ὡς ἄριστα σὺν θεῶν δόσει.

e) Alia vero est notio, quum præpositio de *animo*, *dictis* et *factis* ita usurpatur, ut exprimat, *qua ratione* aliquid dicatur vel fiat. Quo usu præpositio interdum omitti potuit et *dativo modi*, quem vocant, locus esset[1]).

Ex. Sept. 487 ξὺν βοῇ παρίσταται. ibid. γράμματα ἐπ' ἀσπίδος φλύοντα σύν φοίτῳ φρενῶν, quod Bothe vertit »*literæ, quæ in clypeo ejus garriunt non sine mentis insania*». Pers 470 ἵησ' ἀκόσμῳ ξὺν φυγῇ. Ag. 1547 τίς δ' ἐπιτύμβιον αἶνον ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ σὺν δακρύοις ἰάπτων — πονήσει. Choeph. 23 ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν χοᾶν προπομπὸς ὀξύχειρι σὺν κόπῳ, quod Weil interpretatur »*missa sum inferias prosecutura planctu acerrimo*». Suppl. 186 τεθυμμένος ὠμῇ ξὺν ὀργῇ τόνδ' ἐπόρνυται στόλον. Eandem fere significationem præpositio habere videtur Suppl. 975 σύν τ' εὐκλείᾳ καὶ ἀμηνίτῳ βάξει λαῶν τῶν ἐγχώρων, ubi tamen, quum quo hæc verba sint referenda, non satis constet, nihil certi affirmari potest. Huc vero referenda esse videntur exempla, ubi præpositio cum substantivo conjuncta vice adjectivi fungitur, ut Ag. 456 βαρεῖα δ' ἀστῶν φάτις ξὺν κότῳ. ibid. 778 τὰ χρυσόπαστα δ' ἔδεθλα σὺν πίνῳ χερῶν, quod Nägelsbach interpretatur »*eine goldgeschmückte Behausung, die unsaubre Hände verbirgt*».

Adn. A qua *rationis* significatione hæ tres notiones deducendæ esse videntur.

α) Una est notio, qua præpositio *eventum* vel *effectum* indicat. Ita vero præpositio substantivo adjuncta interdum fere idem significat, quod enuntiatione consecutiva, quam vocant, exprimi potest. Cujus usus duo exstant exempla Suppl. 610 κἀρρυσιάστους ξύν τ' ἀσυλίᾳ βροτῶν. ibid. 614 ἄτιμον εἶναι ξὺν φυγῇ δημηλάτῳ[2]).

β) Alia autem est notio, quum præpositio *de rerum statu* dicitur, ut Suppl. 87 πάντᾳ τοι φλεγέθει κἀν σκότῳ μελαίνα ξὺν τύχᾳ μερόπεσσι λαοῖς, quod Weil vertit »*ubique enim vel in mediis tenebris per obscuram fortunæ vicem effulget* (voluntas Jovis) *mortalibus*».

---

1) Cfr Löfstedt, Grekisk Grammatik, Stockholm 1873, p. 169.

2) Tamen, si quis præpositionem substantivo additam hoc loco vice adjectivi fungi censet, eam quoque interpretationem approbandam esse puto.

γ) Alia vero est notio, qua præpositio convenientiam inter quasdam res intercedere significat, quum *σύν* germanice *im Einklang mit, gemäss* interpretamur ut Suppl. 1072 *καὶ δίκᾳ δίκας ἕπεσθαι ξὺν εὐχαῖς ἐμαῖς*, ubi Paley *ξὺν εὐχαῖς ἐμαῖς* interpretatur »*in conformity with my prayer*». Eandem significationem præpositio habere videtur Choeph. 1012 *φόνον δὲ κηκὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται*, ubi Orestes de macula dicit, quam pallio Agamemnonis aspersit gladius Aegisthi; *ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται* Wellauer interpretatur »*cum tempore congruit*», quam interpretationem etiam Weil approbandam esse censet.

f) Hinc proxime abesse videntur quædam locutiones adverbiales. Inter quas tres diversæ rationes possunt discerni.

α) Una est ratio, quum præpositio cum substantivo conjuncta e verbo quodam ita pendet, ut ex his tribus vocabulis sententia efficiatur, quæ uno tantum verbo exprimi poterat, ut Suppl. 120, 131 *πολλάκι δ' ἐμπίτνω ξὺν λακίδι λίνοισιν ἢ Σιδονίᾳ καλύπτρᾳ*, ubi Schütz recte adnotat *ἐμπίτνειν ξὺν λακίδι* nihil aliud esse quam discerpere, dilacerare, impetum in vestes facere lacerando.

β) Alia autem est ratio, quum præpositio cum substantivo ita conjungitur, ut hæc duo vocabula *adverbii* loco sint.

Ex. Ag. 1567 *ἐς τόνδ' ἐνέβης ξὺν ἀληθείᾳ χρησμόν*, ubi *ξὺν ἀληθείᾳ* pæne idem esse videtur quod *ἀληθῶς*. Duobus locis *σὺν χρόνῳ* legitur Ag. 1378 *σὺν χρόνῳ γε μήν*, Eum. 555 *βιαίως ξὺν χρόνῳ καθήσειν*, itemque *σὺν δίκῃ* bis legitur Sept. 444 *πέποιθα δ' αὐτῷ ξὺν δίκῃ τὸν πυρφόρον ἥξειν κεραυνόν*, Eum. 610 *εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον*. Huc referenda esse videntur etiam hæc exempla Choeph. 138 *ἐλθεῖν δ' Ὀρέστην δεῦρο σὺν τύχῃ τινὶ κατεύχομαι*, Sept. 472 *σὺν τύχῃ δέ τῳ*.

γ) Alia vero est ratio, quum præpositio sine casu dicta *adverbii* instar ponitur. Quo usu particula *δέ* vel *τε* addi solet, ut Ag. 656 *κεροτυπούμεναι βίᾳ χειμῶνι τυφῶ σὺν ζάλῃ τ' ὀμβροκτύπῳ*, ibid. 586 *σὺν δὲ πλουτίζειν ἐμέ*.

II. De præpositionibus, quæ cum tribus casibus conjunguntur.

META.

De forma. Aeolica forma *πεδά* non invenitur nisi in compositis *πεδαίχμιος* Choeph. 589, *πεδάορος* Choeph. 590, *πεδάρσιος* Prom. 269, ibid. 710, ibid. 916, Choeph. 846, *πέδοικος* Fragm. 48. In anastrophe præpositio cum genetivo conjuncta semel legitur in fine tetrametri Pers. 734. Item in anastrophe præpositio cum dativo conjuncta semel legitur in fine trimetri Pers. 613. In tmesi autem præpositio usurpatur Suppl. 819, Ag. 759, Prom. 1060.

De significatione.

I. ***Μετά*** cum dativo conjunctum unam tantum habet notionem, atque eam *localem*, qua præpositio aliquem inter aliquos esse et versari significat, quum *μετά* latine *inter*, germanice *unter einer Anzahl oder Menge* interpretamur. Ita vero præpositio semper fere cum substantivis plurali numero positis vel substantivo collectivo, quod vocant, conjungitur[1]) — Cujus usus quamquam apud Homerum frequentissima sunt exempla, tamen apud Aeschylum duo tantum exstant exempla, e quibus unum invenitur Choeph. 365 *μετ' ἄλλων δουρικμῆτι λαῷ — τεθάφθαι*, ubi *μετά* de *hominibus* dictum e verbo suspenditur. Alterum autem exemplum legitur Pers. 613, *λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα*, ubi *μετά* de *rebus* usurpatum sine verbo dicitur.

II. ***Μετά*** cum genetivo conjunctum

A) primaria notione semper fere de *hominibus* dicitur, quum *μετά* latine *una cum* interpretamur. Ita vero præpositio e verbis *quiescendi* suspensa pæne localem habet notionem, qua *μετά* aliquem una cum aliquo esse et versari significat. Quod autem præpositione *μετά* cum genetivo conjuncta significatur, id etiam præpositione *σύν* cum dativo

---

1) Quæ præpositionis notio interdum non multum abesse videtur ab ea significatione, qua præpositio *σύν* cum dativo conjuncta utitur. Quid autem inter illas constructiones intersit, bene nos docet Mommsen, quum (p. 33) dicit, »Wenn also *σύν* mehr das blosse Zusammensein zweier Dinge oder Personen, *μετά* c. dat. das Darunterbefindlichsein oder Darunterhandeln einer Person (oder Sache) unter mehreren ausdrückt, so gehört *σύν* mehr der nominalen, *μετά* mehr der verbalen Verbindung an. *σύν* ist mehr ein blosses Pluszeichen für die Verbindung zweier Grössen, *μετά* als auf Eines unter Mehreren hinweisend verlangt schon mehr die Vorstellung eines gemeinsamen Zustandes oder einer gemeinschaftlichen Thäligkeit, gehört also mehr dem Gedanken, (Verbum) an.

conjuncta exprimi posse nemo non cognitum habet. Quamquam inter illas constructiones non multum interesse concedendum est,[1]) tamen non parvi momenti esse puto cognoscere, utrum scriptores præpositione *μετά* cum genetivo an præpositione *σύν* cum dativo sæpius usi sint, id quod nos docet Mommsen, quum (pag. 3) dicit »*σύν* gehört in guter Zeit fast nur der edlen Dichtersprache und dem Xenophon, während *μετά* c. Gen. fast nur bei Prosaikern zu finden ist oder in solchen Dichtern und Dichterstellen, welche sich der Prosa nähern».

Ex. Ac primum quidem *μετά* ita e verbis *quiescendi* suspenditur Ag. 1037 *πολλῶν μετὰ δούλων σταθεῖσαν κτησίου βωμοῦ πέλας.* Suppl. 959 *εὔθυμον ἐστὶν εὐτύχους ναίειν δόμους πολλῶν μετ' ἄλλων.* Deinde *μετά* ita sine verbo dicitur Pers 734 *μονάδα δὲ Ξέρξην ἐρημόν φασι οὐ πολλῶν μέτα.* Tum aliis quoque verbis addita præpositio aliquem una cum aliquo aliquid facere in universum indicat, Prom. 1067 *μετὰ τοῦδ' ὅτι χρὴ πάσχειν ἐθέλω,* Pers. 915 *εἴθ' ὄφελε — κἀμὲ μετ' ἀνδρῶν — θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.* In exemplis supra allatis *μετά* semper cum substantivis plurali numero positis conjungi observandum est excepto uno loco Prom. 1067.

Adn. Quæ præpositionis notio nonnumquam paulum abesse videtur ab ea significatione, qua præpositio cum dativo conjuncta utitur, id quod nos docet Mommsen, quum dicit[2]) »die Bedeutung dieses *μετά* ist an sich von dem Dativischen nur wenig verschieden, da zu dem 'inmitten, unter' nun hier die Vorstellung des Bereiches oder der Kreisfläche (Genetiv) wie dort die des Ortes wo (Dativ-Locativ) hinzutritt: *μεθ' ἡμῶν* heisst eigentlich 'inmitten da wo wir einen Kreis bilden, inmitten des Bereiches unsrer', wie *μεθ' ἡμῖν* 'inmitten an dem Orte wo wir sind'.» Cujus usus fortasse unum exemplum afferri potest Ag. 1271 *καταγελωμένην μετὰ φίλων,* sed quum præpositio *μετά* cum genetivo conjuncta apud Aeschylum nusquam eam notionem habeat, recte Hermann hoc loco *μέγα* pro *μετά* restituisse videtur.

B) *Translate* usurpata præpositio unam habet notionem, quum *μετά* latine *secundum* interpretamur. Quæ notio ab ea significatione deducenda esse videtur, qua *μετά* nonnumquam utitur, quum aliquem a partibus alicujus stare indicat. Cujus notionis exemplum invenitur Suppl. 644 *οὐδὲ μετ' ἀρσένων ψῆφον ἔθεντο,* quod Bothe vertit »*neque secundum viros suffragia dederunt*», itemque Kruse, qui interpretatur »*zu der Männer Gunst*». Eandem vero significationem præpositio habere videtur etiam Suppl. 1050 *μετὰ πολλῶν δὲ γάμων ἅδε τελευτὰ προτερᾶν πέλοι γυναικῶν,* quod scholiasta græce interpretatur *μετὰ πολλῶν γάμων γυναικῶν καὶ οὗτος τελεσθήσεται.*

III. *Μετά* cum accusativo conjunctum *locali* notione apud Aeschylum nusquam utitur, semper *translate* usurpatur.

---

1) Cfr ea, quæ dicit Kühner p. 438.
2) Mommsen p. 35.

a) Una est notio, quum *μετά* latine *secundum* interpretamur, quæ notio qualis sit, docet Kühner, quum dicit »die räumliche Aufeinanderfolge wird auf die des Werthes od. Ranges übertragen». Cujus usus unum exstat exemplum Sept. 1074 **μετὰ γὰρ μάκαρας καὶ Διὸς ἰσχὺν ὅδε Καδμείων ἤρυξε πόλιν.**

b) Alia autem est notio, quum *μετά* de *tempore* dictum latine *post* interpretamur. Cujus usus unum invenitur exemplum Ag. 231 **μετ' εὐχὰν — λαβεῖν ἀέρδην,** quod Paley interpretatur »after the dedicatory prayer to seize and hold her high above the altar».

ΑΜΦΙ.

De forma. In *tmesi* semel præpositio legitur Pers. 457 **ἀμφὶ δὲ κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον.** Anastrophen vero *ἀμφί* respuere notissimum est.

De *significatione*[1]).

I) ***Ἀμφί*** cum *accusativo* conjunctum

A) locali notione positum *circa* interpretamur. Qui usus in duas distrahitur significationes.

a) Una enim est significatio, quum præpositio e *quiescendi* verbis suspensa aliquem vel aliquid circa aliquem locum esse et versari indicat.

Ex. Ac primum quidem *ἀμφί* e verbis quiescendi suspenditur Prom. 419 **ἔσχατον τόπον ἀμφὶ Μαιῶτιν ἔχουσι λίμναν.** ibid. 725 **κατοικοῦσι ἀμφὶ Θερμώδοντα.** ibid. 806. **οἰκοῦσιν ἀμφὶ νᾶμα Πλούτωνος πόρον.** Deinde aliis quoque verbis addita præpositio aliquid circa quendam locum fieri universe indicat Prom. 556 **ὅτ' ἀμφὶ λουτρὰ καὶ λέχος σὸν ὑμεναίουν.** Sept. 151 **ὅτοβον ἁρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω.** Pers 483. **οἱ μὲν ἀμφὶ κρηναῖον γάνος.** ibid. 716 **ἀμφ' Ἀθήνας πᾶς διέφθαρται στρατός.** ibid. 875 **Ἕλλας τ' ἀμφὶ πόρον πλατὺν εὐχόμενοι.** Ag. 1159 sq. **τότε μὲν ἀμφὶ σὰς ἀϊόνας — ἠνυτόμαν τροφαῖς. νῦν δ' ἀμφὶ Κωκυτὸν — ἔοικα θεσπιῳδήσειν.** Tum sine verbo dictum ex articulo suspenditur Suppl. 922 **τοὺς ἀμφὶ Νεῖλον δαίμονας σεβίζομαι.**

Qua utens notione præpositio nonnumquam cum verbis *motum* pingentibus ita conjungitur, ut motum in aliquo loco commorantem indicet, ut Pers. 309 **οἵδ' ἀμφὶ νῆσον κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα.** ibid. 376 **ναυβάτης τ' ἀνὴρ τροποῦτο κώπην σκαλμὸν ἀμφ' εὐή-**

---

1) Quid inter *ἀμφί* et *περί* intersit, bene docet Kühner, quum dicit: die Präpositionen *ἀμφί* und *περί* drücken beide fast dasselbe Dimensionsverhältniss: Umher und Herum aus, *ἀμφί* die Umgebung von ***beiden Seiten*** eines Gegegenstandes, *περί* von allen Seiten; paulo infra addit: Ueberhaupt können die Begniffe ***Umher*** und ***Herum*** leicht mit einander verwechselt werden, und so sehen wir auch, dass das unbestimmtere *ἀμφί* nicht selten gebraucht wird, wo man das bestimmtere *περί* (v. e. Kreislinie) erwartet, sowie auch *περί* st. *αμφί*.

ϱετμον. Eum. 292 *ἀλλ' εἴτε — Τριτῶνος ἀμφὶ χεῦμα — τίθησιν — πόδα.* Huc fortasse referendum est Fragm. 27 *Εὐβοΐδα καμπὴν ἀμφὶ Κηναίου Διὸς ἀκτήν.*

b) Altera vero est notio, quum præpositio cum verbis veniendi conjuncta motum aliquo versus directum indicat. Cujus usus duo exstant exempla, Prom. 829 sq. *ἐπεὶ γὰρ ἦλθες — τὴν αἰπίνωτόν τ' ἀμφὶ Δωδώνην,* ubi Berg[1]) *ἀμφί* recte interpretatur *»i Nærheten af«*, ibid. 1028 sq. *θελήσῃ — μολεῖν — κνεφαῖά τ' ἀμφὶ Ταρτάρου βάθη.*

B) Translatæ significationes.

a) Pervulgata est notio, quum præpositio cum verbo *εἶναι* vel *ἔχειν* conjungitur; *ἀμφί τι εἶναι* vel *ἔχειν* i. e. *in aliqua re gerenda versari et occupari.* Cujus usus unum exstat exemplum Sept. 102 *εἰ μὴ νῦν, πότ' ἀμφὶ λιτάν' ἕξομεν,* quod vertimus *quando, nisi nunc, in precibus versabimur?*

b) Alia est tralatio, quum præpositio ad tempus exprimendum usurpata indicat, *quo tempore* quid fiat, ut Ag. 826 *πήδημ' ὀρούσας ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν,* quod Blomfield vertit *»sub Autumni fine«*, svethice interpretamur *vid Plejadernas nedgångstid.*

c) Alia vero est notio, ubi de cura vel metu ita dicitur, ut præpositio indicet, de quo quis timeat, quum *ἀμφί* latine *de* interpretamur, ut Sept. 843 *μέριμνα δ' ἀμφὶ πτόλιν.* A quo usu proxime abest ea significatio, qua præpositio e *dicendi* verbis suspensa id indicat, de quo sermo est vel cogitatio, ut Suppl. 246 *εἴρηκας ἀμφὶ κόσμον ἀψευδῆ λόγον.*

II *'Αμφί* cum dativo conjunctum

A) *locali* notione positum interpretamur *circa.* Ejus autem usus, qui apud poetas tantum, non apud prosarios invenitur, duæ sunt significationes.

a) Una est enim notio, quum præpositio e *quiescendi* verbis suspensa aliquem vel rem aliquam circa locum quendam commorari et versari indicat, quam significationem Kühner germanice interpretatur »zur Angabe des ruhigen Verweilens um, an, neben einem Gegenstande». Ita de vestibus corpori indutis ter dicitur Pers. 835 *λακίδες ἀμφὶ σώματι στημορραγοῦσι* ibid. 199. *πέπλους ῥήγνυσιν ἀμφὶ σώματι.* ibid. 847 *ἀτιμίαν γε παιδὸς ἀμφὶ σώματι ἐσθημάτων κλύουσαν,* ubi præpositio dativo apposita ad substantivum (*ἀτιμίαν*). non ad verbum refertur. — Pers. 168 *ἀμφὶ δ' ὀφθαλμοῖς φόβος,* quod Hermann vertit *»oculis offusus est metus».* Ag. 893 *ἀμφὶ σοὶ πάθη ὁρῶσα.* Qua utens notione præpositio etiam cum *movendi* verbis ita conjuncta invenitur, ut motum circa aliquem locum versantem indicet, ut Pers. 1000 *οὐκ ἀμφὶ σκήνας — ὄπιθεν ἑπόμενοι.* — Restat locus, ubi alia vis inest præpositioni Fragm. 33. *διπλόοι λύκοι νεβρὸν φέρουσιν ἀμφὶ μασχάλαις,* dicitur enim de duobus lupis, qui hinnulum auferunt dentibus axillis utrimque infixis; ita (*ἀμφὶ μασχάλαις*) res accuratius explicatur, quam si præpositione omissa genetivus solus adhibitus esset[2]).

---

1) C. Berg: Græsk-Dansk Ordbog; Kjøbenhamn 1864, p. 55.
2) Cfr Löfstedt: Grek. Gram. 70, VI, 2, b, anm: 1, et Kühner, 416, 2.

b) Altera vero est notio, quum præpositio e verbis *feriendi*, *jaciendi* vel tale quid significantibus suspensa motum aliquo versus directum indicat, ut Prom. 55 *βαλών νιν ἀμφὶ χερσὶν — ῥαισθῆρι θεῖνε.* ibid. 71 *ἀμφὶ πλευραῖς μασχαλιστῆρας βάλε.* Sept. 855. *ἐρέσσετ᾽ ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν πίτυλον*, quod Hermann vertit »*largo cum luctu in capite vestro imitamini remigrationem manuum*» itemque Paley interpretatur »but with the gale of lamentations ply about your heads the quick oarstroke of your hands in funeral procession», Ag. 326 *ἀμφὶ σώμασιν πεπτωκότες.* Fragm. 179 *ὅς ποτ᾽ ἀμφ᾽ ἐμοὶ βέλος — ἔρριψεν.* Eadem fere significatio præpositioni inest, sed ea *tralaticia*, quippe quum de dolo dicatur, qui adversus aliquem struitur, Choeph. 220, *ἀλλ᾽ ἦ δόλον τιν᾽ — ἀμφί μοι πλέκεις*, quod Ahrens vertit »*at dolumne aliquem adversus me nectis*».

B. Translatæ significationes.

a) Una est tralatio, quæ id significat, de quo sermo est vel cogitatio, quum præpositionem interpretamur *de*, germanice »*in Betreff*». Quo usu præpositio vulgo cum verbis *dicendi* conjungitur, neque tamen ita apud Aeschylum, aliis autem in locutionibus usurpatur, ut Ag. 890 *τὰς ἀμφί σοι κλάουσα λαμπτηρουχίας*, quod Nägelsbach vertit »*illas ad te quæ pertinebant facium accensiones deplorans*», ad quem locum Paley adnotat »we may take this as shortly put for *κλαίουσα ἀμφί σοι τὰς ἐπί σοι καθισταμένας λαμπτηρουχίας*[1]). Qua notione præpositio non raro cum verbis *timendi* conjungitur, ut Prom. 182 *δέδια δ᾽ ἀμφὶ σαῖς τύχαις.* Pers. 8 *ἀμφὶ δὲ νόστῳ τῷ βασιλείῳ — ὀρσολοπεῖται θυμός.* Eadem vero significatio inest præpositioni Pers. 168, si dativum *ὀφθαλμοῖς* non proprie de oculis, sed translate de eo, quod carum est, dictum esse statuas. Alia exempla id generis quæras apud Kühner. II p. 424.

b) Ab illa notione proxime abest ea tralatio, quæ indicat, quam ob causam quis aliquid faciat, quum præpositionem interpretamur *præ*. Cujus usus unum exstat exemplum Choeph. 547 *ἡ δ᾽ ἀμφὶ τάφβει τῷδ᾽ ἐπῴμωξεν πάθει.* Præpositionem vero ita usurpatam etiam apud ceteros tragicos inveniri docet Kühner citans Soph. Fragm. 147 D. *ἀμφὶ θυμῷ* et Eur. Or. 825 *ἀμφὶ φόβῳ.* Quam notionem nonnumquam etiam præpositioni *περί* inesse infra demonstrabimus.

III *᾽Αμφί* cum genetivo conjunctum *locali* notione rarissimo ponitur, neque vero umquam ita usurpatur in Aeschyleis fabulis, ubi præpositio genetivo apposita duas tantum habet notiones atque eas *translatas*.

a) Una est tralatio, quæ id significat, de quo sermo est vel cogitatio, quum præpositionem interpretamur *de*. Quo usu præpositio cum verbis *dicendi* quinquies conjungitur, ut Sept. 1012 *οὕτω μὲν ἀμφὶ τοῦδ᾽ ἐπέσταλται λέγειν*, Ag. 1083 *χρήσειν ἔοικεν ἀμφὶ τῶν αὑτῆς κακῶν.* ibid. 1141 *ἀμφὶ δ᾽ αὑτᾶς θροεῖς νόμον ἄνομον.* Suppl. 615 *τοιάνδ᾽*

---

1) Si quis præpositionem hoc loco *causam* indicare dicit, ea quoque interpretatio est probanda; ita Ahrens, qui vertit »*quum disposita tuam ob causam signa ignium deflerem*».

ἐπειϑε ῥῆσιν ἀμφ' ἡμῶν λέγων Prom. 702 τὸν ἀμφ' ἑαυτῆς ἆϑλον ἐξηγουμένης, ubi præpositio genetivo apposita inter articulum et substantivum inseritur, id quod *attractione*, quam vocant, statuenda Wecklein recte docet dici pro ἀμφ' ἑαυτῆς τὸν ἑαυτῆς ἆϑλον ἐξηγουμένης. — A quo usu proxime abest ea notio, quum præpositionem aliis in locutionibus usurpatam germanice interpretamur *in Betreff*; ita Ag. 1074 τί ταῦτ' ἀνωτότυξας ἀμφὶ Λοξίου, ubi Nägelsbach ἀμφί interpretatur »*mit Beziehung auf*», itemque Suppl. 391 ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν ἀμφὶ σοῦ.

b) Altera vero est tralatio, quæ indicat, quam ob causam quid fiat, quum præpositionem interpretamur *ob*, *propter*, ut Ag. 62 πολυάνορος ἀμφὶ γυναικὸς πολλὰ παλαίσματα — ϑήσων.

ΠΕΡΙ.

De *forma*. Sæpe per anastrophen, quam vocant, præpositio substantivo postponitur; dativo vero numquam, accusativo autem semel postponitur Pers. 61 οὓς πέρι — στένεται; genetivo vero sæpius postponitur atque id quidem ita, ut non raro præpositio in fine versuum collocetur; semel vero in fine tetrametri troch. invenitur Pers. 225; in fine autem trimetri duodecies legitur Sept. 248, Pers. 329, Ag. 843, ibid. 1359, Choeph. 86, ibid. 551, ibid. 718, ibid. 780, ibid. 850, Eum. 617, ibid. 630, Suppl. 369. — In tmesi præpositio bis legitur Ag. 1559 περὶ χεῖρε βαλοῦσα i. e. χεῖρε περιβαλοῦσα et Pers. 872, ubi præpositio post verbum ponitur accentu retracto, ἐληλάμεναι πέρι πύργον i. e. περιεληλάμεναι πύργον.

De *significatione*.

I. Περί cum accusativo conjunctum

A) *locali* notione positum interpretamur *circum*, *circa*. Cujus usus duplex est ratio.

a) Una enim est significatio, quum præpositio e *quiescendi* verbis suspensa aliquem vel aliquid circa aliquem locum esse et versari indicat, quam significationem Kühner germanice interpretatur »eine räumliche Verbreitung um, an, bei, durch einen Gegenstand». Ita Ag. 452 περὶ τεῖχος ϑῆκας 'Ιλιάδος γᾶς εὔμορφοι κατέχουσι, eademque notio inest, quum præpositio inter articulum et substantivum inseritur, ut Fragm. 271 οἱ περὶ λίμναν Huc referendum esse videtur Eum. 165 φονολιβῆ ϑρόνον[1]) περὶ πόδα, περὶ κάρα, quod Weil interpretatur »*ut solium — — a summo ad imum sanguine stillaret*».

b) Altera vero est notio, quum præpositio e *movendi* verbis suspensa aliquem vel aliquid circum quendam locum circumagi et promoveri indicat, quam notionem Kühner

1) ϑρόμβον Hermann, Dindorf, quam voculam cum participio κρατοῦντες conjungendam esse docet Hermann, locumque ita explicat »solches vollbringen die jungen Götter, die sich gegen alles Recht der Blutspur an Fuss und Haupt bemächtigen: d. h. die sich das Gericht über den an Haupt und Fuss mit Blut bespritzten Mörder anmaassen». Cfr Herm. Opusc. VI, 2 p. 40.

germanice intepretatur »eine Bewegung um Etwas herum». Exemplum ejus generis invenitur Prom. 138 τοῦ περὶ πᾶσάν θ' εἱλισσομένου χθόνα — Ὠκεανοῦ. Qua utens notione præpositio bis legitur in enunciationibus, ubi metaphorice loquitur poeta; semel enim per imaginem undæ, quæ magno cum sonitu circa navem volvitur, de agmine hostium urbem oppugnantium dicitur Sept. 113 κῦμα περὶ πτόλιν δοχμολοφᾶν ἀνδρῶν καχλάζει; semel autem per imaginem fluctuantis maris de calamitatibus, quæ urbi imminent, dicitur Sept. 760 ὃ καὶ περὶ πρύμναν πόλεως καχλάζει. In iis vero exemplis, quæ modo sunt commemorata, vis præpositionis apte convenire videtur cum iis, quæ nos docet Kühner, quum dicit[1]) »beide (ἀμφί und περί) haben die Bedeutung um mit einander gemein; wo es aber darauf ankommt, den Begriff einer *Kreislinie* auszudrücken, da wird stäts περί gebraucht».

B) E *translatis* significationibus una invenitur, qua præpositio indicat, de quo quis timeat, quum περί interpretamur *de*. Cujus usus unum exstat exemplum Pers. 61 οὕς πέρι πᾶσα χθὼν Ἀσιᾶτις — στένεται, quod interpretamur *de quibus Asia lamentatur*[2]). Quam notionem etiam præpositioni ἀμφί cum accusativo conjunctæ inesse supra demonstravimus. — Restat unus locus Pers. 675, de quo, quamquam præpositio eandem atque eam, quam modo commemoravi, notionem non habet, hic pauca dicam. Quum editores alii aliter scripserint, conjecturas eorum inter se diversas non erit necesse afferre, Hermanni vero scripturam afferam, qui legit τί τᾷδε — περὶ τὰ σὰ διδύμᾳ — ἁμαρτίᾳ πάσᾳ γᾷ τᾷδ' ἐξέφθινται — νᾶες, quod vertit *»cur hoc — circa tuas opes duplici per insaniam irrito successu huic terræ perierunt — naves»*, svethice vero interpretamur *hvarför hafva genom detta mot din makt riktade och af oförstånd framkallade tvillingsfelsteg skeppen förgåtts.* Præpositio vero eadem utitur notione, quam περί habet cum verbo ἁμαρτάνειν conjunctum, quum indicat, in quem quis delinquat, ut Xen. An. 3, 2, 20.

II. *Περί* cum dativo conjunctum

A) *locali* significatione positum interpretamur *circum, circa*. Cujus usus duplex est ratio.

a) Una est notio, quum præpositio in locutionibus, quibus vis *quiescendi* involuta est, usurpata aliquem vel rem aliquam circa locum quendam commorari et versari indicat, quam significationem Kühner germanice interpretatur *»ein ruhiges Verweilen in einem Umkreise, einer Umgegend, Nähe»*. Cujus usus unum exstat exemplum Ag. 1265 μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη, ubi præpositio dativo apposita inter adjectivum et substantivum inseritur.

b) Altera vero est notio, quum præpositio e verbis *feriendi* vel tale quid significantibus suspensa motum aliquo versus directum indicat, ut Fragm. 179 περὶ δ' ἐμῷ

---

1) Kühner: Gram, II p. 423.

2) Si quis (ita Bothe) vult interpretari *propter quos Asia lamentatur*, ea quoque interpretatio est probanda. Cfr quæ supra adnotavimus.

κάρᾳ πληγεῖσ' ἐνανάγησεν — (*οὐράνη*). Prorsus eadem sententia legitur apud Sophoclem Synd. Fragm. 147 *περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ κατάγνυται τό τεῦχος*, ubi de vi præpositionis Ellendt docet[1]): »Latine *in*, nostra lingua *an* dicitur, utroque sermone disertius et significantius Græce«. — A qua notione non multum abest ea, qua præpositio e movendi verbis suspensa aliquem vel aliquid *amplexu* teneri indicat; ita Eum. 259 *περὶ βρέτει πλεχθείς*. Quas notiones etiam præpositioni *ἀμφί* inesse supra commemoravi.

B) E translatis significationibus una invenitur, quæ indicat, quam ob causam quis aliquid faciat, quum *περί* interpretamur *præ*. Cujus usus duo exstant exempla Pers. 696 *σέβομαι δ' ἀντία λέξαι σέθεν ἀρχαίῳ περὶ τάρβει*. Choeph. 35 *τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος — ἀωρόνυκτον ἀμβόαμα μυχόθεν ἔλακε περὶ φόβῳ*. Quam notionem etiam præpositioni *ἀμφί* nonnumquam inesse supra commemoravi.

III. ***Περί*** cum genetivo conjunctum *locali* significatione apud Aeschylum numquam utitur, semper *translate* dicitur.

a) A primaria et locali notione, quæ aliquem vel aliquid circa quendam locum esse et versari exprimit, profecta est ea tralatio, quum præpositio cum verbis *pugnandi* conjuncta indicat, de quo aliquis pugnet, idque non raro ita, ut *περί* aliquem *pro* aliquo defendendi causa pugnare significet, de qua notione Pape[2]) docet: Daraus entwickelt sich der Gebrauch den Gegenstand, um dessen Gewinnung, wenn er in den Händen des Feindes ist, oder zu dessen Schutz, wenn er angegriffen wird, man kämpft, durch *περί τινος* zu bezeichnen. Cujus usus unum exstat exemplum Suppl. 740 *μαχοῦνται περὶ σέθεν*, quod Ahrens vertit »*pro te pugnabunt*«.

b) Altera vero est tralatio, quæ id significat, de quo sermo est vel cogitatio, quum *περί* latine interpretamur *de*, germanice modo *um*, *über*, modo *hinsichtlich*, *was betrifft*.

Ex. Cum verbis *dicendi* *περί* conjungitur Ag. 843 *εἴτ' οὖν θανόντος εἴτε καὶ ζῶντος πέρι λέγω*. Eum. 114 *ἀκούσαθ' ὡς ἔλεξα τῆς ἐμῆς περὶ ψυχῆς*. ibid. 617 *οὐπώποτ' εἶπον — οὐκ ἀνδρὸς, οὐ γυναικὸς, οὐ πόλεως πέρι*. Pers. 329 *τοιῶνδέ γ' ἀρχῶν νῦν ὑπεμνήσθην πέρι*. Cum verbis *consultandi* vel tale quid significantibus conjungitur Sept. 248 *οὐκοῦν ἐμ' ἀρκεῖ τῶνδε βουλεύειν πέρι*. Choeph. 86 *γένεσθε τῶνδε σύμβουλοι πέρι*. ibid. 718 *βουλευσόμεσθα τῆσδε συμφορᾶς πέρι*. Suppl. 369 *ἀστοῖς δὲ πᾶσι τῶνδε κοινώσας πέρι*. A qua notione proxime abest ea, qua *περί* de causa dicitur, de qua quis suffragium fert, ut Eum. 630 *ψήφῳ διαιρεῖν τοῦδε πράγματος πέρι*. Quamquam e verbo alius notionis (*διαπράσσειν*) *περί* suspenditur ob eamque rem paulo aliter usurpatur, tamen huc referendum esse videtur Eum. 952 *περί τ' ἀνθρώπων φανερῶς τελέως διαπράσσουσι*. Cum verbo *judicandi* conjunctum *περί* bis dicitur de somniis interpretandis Pers. 225 *εὖ δὲ πανταχῇ τελεῖν σοι τῶνδε κρίνομεν πέρι* itemque Choeph. 551 *τερασκόπον δὲ τῶνδέ*

1) Lexicon Sophocleum, Berlin 1872 p. 623.

2) Pape, Griechisch-Deutsches Handwörterbuch, Braunschweig, 1880 pag. 565.

σ' αἱροῦμαι πέρι, ubi præpositio genetivo postposita ad substantivum (*τερασκόπον*) refertur. Postremum e verbo *μέλειν* præpositio suspenditur Choeph. 780 *μέλει θεοῖσιν ὧνπερ ἂν μέλῃ πέρι*, ubi verbum *μέλει* construitur *τινὶ περί τινος*, quum usitatius sit *μέλει τινί τινος;* exempla ejusdem generis inveniuntur Her. 6, 101; Xen. Cyr. 5, 3, 23; 4, 5, 17; 7, 1, 20.

Adn. Apud Homerum *περί* sine casu dictum *adverbii* instar usurpari notissimum est, quum *περί* latine interpretamur *præcipue*, germanice *sehr, vorzüglich, in hohem Grade.* Cujus usus apud Aeschylum unum exstat exemplum Ag. 1359 *τοῦ δρῶντος ἔστι καὶ βουλεῦσαι πέρι*[1]). Cfr. Il. 9, 100.

ΠΑΡΑ.

De forma. Primum in anastrophe cum genetivo conjunctum legitur *πάρα*, quod decem locis in sexto pede trimetri invenitur Prom. 634 ibid. 700 ibid. 988. Pers. 388. Ag. 265 ibid. 858. Choeph. 90 ibid. 122. ibid. 850[2]). Suppl. 227; semel autem in cantico chori in fine versus *πάρα* legitur Suppl. 1074. Tum pro *πάρεστι* legitur *πάρα*, quod et ipsum in fine versus collocari solet exceptis duobus locis Choeph. 961 ibid. 972, ubi in cantico chori in initio versus *πάρα* legitur. In fine vero versus in cantico chori bis *πάρα* legitur. Sept. 356, Pers. 287. In fine autem tetrametri bis *πάρα* legitur Pers. 167, Ag. 1669; in fine vero trimetri decies legitur Prom. 54 ibid. 760 Sept. 814. Suppl. 1009 Ag. 1055. ibid. 1603 Eum. 407 ibid. 428 Pers. 617, ibid. 471[3]). Restat vero locus Eum. 31 *κεἰ παρ' Ἑλλήνων τινές*, ubi dubitari potest, utrum præpositio an verbum *παρ'* sit putandum. Abresch, itemque Hermann et Weil, *πάρ'* pro *πάρεισι* scribendum esse censet. Duæ autem videntur esse causæ, cur hoc non sit probandum, una, quod *πάρ'* pro *πάρεισι* dictum rarissimum atque inusitatissimum existimandum est, altera, quod omnibus in exemplis, quæ supra sunt allata, *πάρα* semper ita collocatur, ut elisione non opus est. Quæ quum ita sint, Dindorf mihi videtur recte facere, quod *παρ'* scribit et verbum *πάρεισι* cogitatione supplendum esse censet.

De significatione.

I De præpositione *παρά* cum accusativo conjuncta.

---

1) Quem locum alii aliter interpretantur; Weil statuit *περί* hoc loco absolute dici, itemque Choeph. 849 *οὐδὲν ἀγγέλων σθένος, ὡς αὐτὸν αὐτῶν ἄνδρα πεύθεσθαι πέρι*, ubi recte mea quidem sententia Hermann et Dindorf legunt *πάρα*. Quum alia exempla non afferret, sententiam ejus accipiendam esse non putavi.

2) Pro librorum *πέρι* Hermann et Dindorf legunt *πάρα*, quod Dindorf verbum pro *πάρεστι* esse censet; mihi quidem probabilius videtur statuere *πάρα* hoc loco præpositionem esse e verbo *πεύθεσθαι* pendentem.

3) Libri habent *τοιάνδε σοι — συμπορὰν πάρα στένειν*, ubi *στένειν πάρα* scripsit Dindorf, quam transpositionem Weil probavit:

A) Locali usu,

a) una est præpositionis notio, quum *παρά juxta* interpretamur. Qua significatione præpositio e verbis et quiescendi et movendi suspenditur.

α) Cum verbis *quiescendi* conjuncta præpositio rem juxta alteram rem quasi in longitudinem esse porrectam indicat. Neque tamen semper ita usurpatur, sed etiam in locutionibus, ubi ea porrigendi notio latet, ita adhibetur, ut de rebus dicatur, quæ juxta locum quendam fiunt. Quo usu non raro de fluvio dicitur, juxta quem aliquid fit, ut Ag. 511 **ἅλις παρὰ Σκάμανδρον ἦσθ' ἀνάρσιος.** Choeph. 366 **παρὰ Σκαμάνδρου πόρον τεθάφθαι.** Prom. 529 sq. **θεοὺς ὁσίαις θοίναις ποτινισσομένα — παρ' Ὠκεανοῦ πατρὸς ἄσβεστον πόρον.**

β) E verbis *movendi* suspensa præpositio aliquem juxta locum quendam se movere indicat, quum *παρά* germanice *neben — hin* interpretamur. Locus autem, juxta quem motus fieri dicitur, sæpe mare est vel fluvius vel ripa, ut Prom. 810 **τούτου παρ' ὄχθας ἕρπε** Pers. 303 **στύφλους παρ' ἀκτὰς θείνεται Σιληνιῶν.** — Notissimum autem est præpositionem locali significatione ita quoque usurpari, ut rem præter alteram moveri indicet, cujus usus exemplum apud Aeschylum nullum invenitur.

b) Verbis *movendi* adjuncta præpositio aliquem vel aliquid ad locum quendam moveri significat, quum *παρά* germanice *zu — hin* interpretamur, cujus notionis unum invenitur exemplum Ag. 180 **καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν.**

B) Translatæ significationes.

a) A locali illa notione, quæ rem juxta alteram poni significat, deducta esse videtur notio *comparandi*, quum *παρά* de rebus inter se comparatis dicitur. Comparativa vis autem servata est in quibusdam locutionibus, quum præpositio verbis *æstimandi* addita cum neutro adjectivi conjungitur. Cujus usus exemplum invenitur, Ag. 229 **κληδόνας πατρῴους παρ' οὐδὲν αἰῶνα παρθένειόν τ' ἔθεντο,** ubi *παρ' οὐδέν nihili, minime* interpretamur. Eadem vero locutio *παρ' οὐδέν* invenitur etiam Eum. 846, 880 **ἀπὸ γάρ με τιμᾶν δαναιᾶν θεῶν δυσπάλαμοι παρ' οὐδὲν ἦραν δόλοι,** ubi *παρ' οὐδὲν ἦραν* breviloquentiam quandam existimandam esse pro *παρ' οὐδὲν ἄγοντες ἦραν* Weil docet. Huc referendum est etiam Eum. 213, ubi Weil legendum esse censet **παρ' οὐδὲν ἤρκεσεν Ἥρας τελείας καὶ Διὸς πιστώματα,** quod vertit *»Nihil valuerunt Junonis pronubæ et Jovis foedera«*. Quo loco alii alias fecerunt conjecturas; Hermann legit *παρ' οὐδὲν ἧκέ σοι,* Wellauer conjecit *ᾐδέσω,* quam conjecturam bonam esse Hermann concedit[1]). Quæcunque conjectura accipienda erit, tamen eadem significatio locutioni *παρ' οὐδέν* inesse putanda est.

b) A notione *prætereundi*, quæ alteram rem præter alteram moveri indicat, deflectitur ea præpositionis vis, quæ rem cum altera non convenientem, sed potius discre-

1) Opusc. Hermanni, Vol. VI, pars. II pag. 43.

pantem significat, quum *παρά præter, contra* interpretamur. Quo usu præpositio semper fere de substantivis abstractis dicitur.

Ex. Bis vero legitur *παρὰ γνώμην* Ag. 931 *τόδ' εἰπὲ μὴ παρὰ γνώμην ἐμοί* Suppl. 454 *γένοιτο δ' εὖ παρὰ γνώμην ἐμήν*. Semel autem *παρ' ἐλπίδα* invenitur Ag. 899 *γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα*. Semel vero *παρὰ νόμον* usurpatur Eum. 171 *παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων*. Uno loco autem *παρ' αἶσαν*, legitur Suppl. 79 *ἢ καὶ μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν*, quod Ahrens, itemque Kruse, interpretatur »*aut etiam si non ratum faciatis, quod contra fatum sit*«[1]).

Adn. Jam vero restat, ut pauca de ea notione disseramus, quum præpositio de rebus dicitur, quæ *secundum* alias res fiunt, cujus usus unum exstat exemplum Ag. 1045 *ὠμοί τε δούλοις πάντα καὶ παρὰ στάθμην*. Quo loco omnes fere commentatores *παρὰ στάθμην* vertunt *præter æquitatem*, quæ interpretatio non accipienda esse videtur. Quum enim in omnibus exemplis, ubi illa locutio invenitur (Theogn. 534, 939. Soph. Fragm. 421[2])) semper *παρά secundum* interpretemur, non satis causæ esse videtur, cur hoc loco ab ea interpretatione recedamus. Neque tamen ignoro esse, qui *παρὰ στάθμην* germanice vertant »nach der Schnur, genau, nach strengem Recht«, quæ interpretatio acutior quam verior etiamsi aliis locis sit probanda, tamen hoc loco non apta esse videtur. Quæ quum ita sint, locum, de quo nunc dicitur, puto duplici modo posse sanari. Nam aut *παρὰ στάθμην* legendum est atque *secundum amussim* interpretandum, quum præcedentia ita mutanda sunt, ut negandi particula quædam inseratur, id quod facile effici potest, si *κοὐ* pro *καί* legitur, aut *παρὰ στάθμην* in *πέρα σταθμῶν* mutandum est, quam conjecturam, si recte memini, Meineke primus protulit.

II. ***Παρά*** cum dativo conjunctum

A) locali usu unam tantum habet notionem, quæ locum indicat, juxta quem quid est vel fit, quum *παρά* modo *prope*, modo *ad* vel *apud* interpretamur.

Ex. Primum cum verbo *sedendi* conjungitur Fragm. 299 *ἥμενος παρ' ἑστίᾳ*. Verbo autem *εἶναι* adjuncta præpositio de sacrificiis dicitur, quæ mortuis offeruntur. Choeph. 484 *παρ' εὐδείπνοις ἔσει ἄτιμος ἐμπύροισι κνισωτοῖς χθονός*, ubi *εὔδειπνοι* adjectivum esse et cum substantivo *ἐμπύροισι* jungendum censet Dindorf[3]). Deinde aliis quoque verbis additur præpositio, quibus aliquid prope locum quendam fieri universe indicatur,

1) Quem locum quamquam alii aliter explicant, tamen in eo, quod *παρ' αἶσαν contra fatum* interpretantur, inter se consentiunt omnes fere editores præter Weilium, qui vertit »*sin per fata non licet ut plene id contingat*«.

2) Locos citat Pape. Cfr quæ de hac re disputat Rau (De præpositionis *ΠΑΡΑ* usu, Leipzig 1870 p. 85).

3) Quæ interpretatio si vera est, ea notio, qua hoc loco præpositio utitur, ab usu temporali non multum abesse videtur; nam *παρ' ἐμπύροισι* interpretandum esse videtur *per sacrificiorum tempus, durante sacrificio*. Aliter autem hunc locum explicat Weil, qui *εὔδειπνοι* »*manes inferiis honorati*« interpretans dativum *ἐμπύροισι κνισωτοῖς* dictum esse censet, ut *Παναθηναίοις, Διονυσίοις*.

ut Sept. 392 *βοᾷ παρ᾽ ὄχϑαις ποταμίαις*. Tum præpositio sine verbo dicta inter adjectivum et substantivum inseritur Fragm. 192 *χαλκοκέραυνόν τε παρ᾽ Ὠκεανῷ λίμνην*. In exemplis supra allatis præpositio de *locis* usurpatur; eadem vero significatio invenitur, quum *παρά* e verbis *quiescendi* suspensum de *hominibus* dicitur, ut Suppl. 242 *κλάδοι — κεῖνται παρ᾽ ὑμῖν*. ibid. 286 *χϑόνα παρ᾽ Αἰϑίοψιν ἀστυγειτομένας*.

B Translatæ significationes.

a) Una est tralatio, quum *παρά* de hominibus dictum eum significat, *apud* quem quis vel auctoritatem vel gratiam habet. Quo usu præpositio e verbo *δύνασϑαι* suspenditur adverbio *μέγα* apposito Eum. 951 *μέγα γὰρ δύναται πότνὶ Ἐρινὺς παρά τ᾽ ἀϑανάτοις τοῖς ϑ᾽ ὑπὸ γαῖαν*. Eandem vero notionem *παρά* habere videtur etiam Eum. 229 *μέγας γὰρ ἔμπας παρὰ Διὸς ϑρόνοις λέγει*. Quo exemplo, quam facilis a locali notione ad metaphoricam sit transitus, aperte ostenditur, quod præpositio non solum de loco (*ϑρόνοις*) dicitur, sed etiam cum adjectivo (*μέγας*) conjungitur, quo aliquis apud quendam auctoritate valere indicatur.

b) Alia vero est significatio, quum *παρά* indicat, *penes* quem quid sit. Quæ notio ab ea, quam modo supra commemoravi, profecta esse videtur, quum id, quod apud aliquem est, in ejus potestate cogitari possit. Cujus usus unum exstat exemplum Prom. 186 *παρ᾽ ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχων*, quod Blomfield interpretatur »*justitiam penes se habens*«.

III. De prepositione *παρά* cum genetivo conjuncta. Præpositio *παρά* genetivo adjuncta et *locali* et *translata* notione utitur. Quum autem illæ notiones tam similes sint tamque inter se cohæreant, ut interdum inter se commutari possint, aptissime mihi ita faciendum esse putavi, ut eas notiones uno eodemque loco tractarem.

a) Primaria atque usitatissima est notio, quum præpositio indicat, *unde* aliquid proficiscatur. Qua notione *παρά* non solum proprie cum verbis *movendi*, sed etiam metaphorice cum iis verbis conjungitur, quæ ad animum transferuntur, qualia sunt verba *audiendi*, *discendi*, similia.

Primum quidem verbis *veniendi* vel *eundi* *παρά* additur, ut Ag. 917 *παρ᾽ ἄλλων χρὴ τόδ᾽ ἔρχεσϑαι γέρας*, Suppl. 198 *τὸ μὴ μάταιον δ᾽ ἐκ σεσωφρονισμένων ἴτω προσώπων ὄμματος παρ᾽ ἡσύχου*, quibus duobus locis præpositio, quamquam verbis *movendi* additur, tamen translate usurpatur. De clamore alicunde obviam eunte dicitur Pers. 406 *παρ᾽ ἡμῶν Περσίδος γλώσσης ῥόϑος ὑπηντίαζε*. itemque Pers. 388 *κέλαδος Ἑλλήνων πάρα μολπηδὸν ηὐφήμησεν*, ubi tamen *παρά* e verbo *εὐφημεῖν* suspenditur.

Deinde verbis *ferendi* vel *agendi* *παρά* adjungitur, ut Choeph. 89 *λέγουσα παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν γυναικὸς ἀνδρί, τῆς ἐμῆς μητρὸς πάρα*. ibid. 403 *παρὰ τῶν πρότερον φϑιμένων ἄτην ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ᾽ ἄτῃ*. E verbo autem *sumendi* *παρά* semel suspenditur Sept. 623 *παρ᾽ ἀσπίδος γυμνωϑὲν ἁρπάσαι δόρυ*, qud Paley interpretatur »*to snatch the naked spear from alongside of the shield*«. Verbis vero *accipiendi et habendi*

παρά adjungitur his locis Ag. 1046 *ἔχεις παῤ ἡμῶν οἷάπερ νομίζεται.* Eum 856 *τεύξει παῤ ἀνδρῶν καὶ γυναικείων στόλων, ὅσην παῤ ἄλλων οὔποτ᾽ ἂν σχέθοις βροτῶν.* Quæ accipiendi verba usitatissima sunt; poeticæ vero dictionis proprium existimandum est id verbum, quod invenitur Prom. 700 *τήν πρίν γε χρείαν ἠνύσασθ᾽ ἐμοῦ πάρα.*

Tum *παρά* cum verbis *comperiendi* et *discendi* conjungitur, e quibus suspensa præpositio semper translata utitur notione, ut Choeph. 171 *πῶς οὖν παλαιὰ παρὰ νεωτέρας μάθω.* Ag. 858 *οὐκ ἄλλων πάρα μαθοῦσα.* Prom. 988 *εἰ προσδοκᾷς ἐμοῦ τι πεύσεσθαι πάρα.* Choeph. 849 *οὐδὲν ἀγγέλων σθένος , ὡς αὐτὸν αὐτῶν ἄνδρα πεύθεσθαι πάρα,* ubi exemplo Prom. 988 collato *παρά* hoc loco præpositionis vice fungi existimandum est[1]).

Postremo e verbis *passivis* suspensa præpositio proprio sensu usurpatur duobus locis. Semel enim de ignibus dicitur, quibus signa ex alio loco ad alium transferuntur, Ag. 917 *ἄλλος παῤ ἄλλου διαδοχαῖς πληρούμενοι,* quod interpretamur *talia sunt mihi facium instituta, quorum alterum ab altero vices excipiens commutationibus expletur.* Alterum vero exemplum invenitur Ag. 264 *εὐάγγελος μὲν — ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα,* ubi *γίγνεσθαι παρά τινος* proprio sensu *(nasci ex aliquo)* usurpari videtur, quum aurora quasi filia noctis cogitari possit, quam interpretationem Nägelsbach probare videtur, quum hunc locum vertit »es komme nur — — als Kind heilverkündender Nacht auch das Frühroth heilverkündend», Quibus verbis (*πληροῦσθαι, γίγνεσθαι*) facile transitus ad eum præpositionis usum paratur, quo *παρά* cum verbis passivis conjunctum *agentis,* quem vocant, vice fungitur, de quo usu paulo infra pauca dicentur.

Adn. Jam vero hoc loco de exemplis quibusdam disserendum putavi, quæ a vulgato præpositionis usu paulum recedunt. Ac primum quidem animadvertendum est interdum fieri, ut verbum, e quo pendeat præpositio, omittatur, ut Eum. 31 *κεἰ παῤ Ἑλλήνων τινές,* ubi verbum *πάρεισι* cogitatione supplendum esse jam supra dixi. Cujus usus exemplum invenitur etiam Choeph. 122 *καὶ ταῦτά μοὐστὶν εὐσεβῆ θεῶν πάρα,* ubi Paley breviloquentiam quandam inesse statuens græce interpretatur *καὶ ταῦτα εὐσεβῆ ἐστί μοι εὔχεσθαι λαβεῖν παρὰ θεῶν.* Deinde inusitatissima ea dicendi ratio existimanda est, quum omisso verbo præpositio ad substantivum refertur, ut Suppl. 1072 sq. *καὶ δίκᾳ δίκας ἕπεσθαι ξὺν εὐχαῖς ἐμαῖς, λυτηρίοις μηχαναῖς θεοῦ πάρα,* ubi præpositio genetivo apposita cum substantivo (*μηχαναῖς*) conjungitur[2]). Postremo autem poeticæ dictionis propria ea constructio putanda est, qua verbum *γαμεῖν* cum præpositione *παρά* conjungitur, ut Suppl. 227 *γαμῶν ἄκουσαν ἄκοντος πάρα,* quæ constructio, quamquam nisi hoc loco non invenitur, tamen non multum abesse videtur ab exemplis Euripideis, ubi verbum *γαμεῖν* cum præpositione *ἐκ* (Rhes. 168, Androm. 1279) vel *ἀπό* (Heracl. 299, Androm. 975) conjungi Paley docet.

---

1) Dindorf autem *παρά* hoc loco pro *πάρεστι* dictum esse censet.

2) Quæ constructio quum inusitassima sit, nescio an ea interpretatio sit præferenda, qua *θεοῦ πάρα* cum verbo *ἕπεσθαι* conjungitur, qua notione præpositio indicat, quo auctore quid fiat:

b) Ex ea significatione, quæ id indicat, quod ab aliquo proficiscitur, deducenda est ea notio, quum præpositio cum verbis passivis conjuncta *agentis*, quem vocant, vice fungitur. Cujus usus unum exstat exemplum, quum e verbo *διδάσκεσθαι* præpositio suspenditur Prom. 634 *τὰ λοιπὰ δ' ἄθλων σοῦ διδαχθήτω πάρα*, qui usus ex exemplis supra allatis facile explicari potest, Ut enim ex verbo *μανθάνειν παρά* suspenditur, ita *διδάσκεσθαι* cum præpositione *παρά* conjungi non mirum est, quia illa verba idem fere significare putanda sunt.

Adn. Præpositionem *παρά* cum genetivo conjunctam sæpissime de *hominibus* vel *animalibus* usurpari nemo non cognitum habet. Quem usum, si exempla supra allata perlegeris, etiam ab Aeschylo servatum esse reperies exceptis duobus locis, ubi de *rebus* *παρά* dicitur Sept. 623 *παρ' ἀσπίδος γυμνωθὲν ἁρπάσαι δόρυ*. Suppl. 198 *τὸ μὴ μάταιον — ὄμματος παρ' ἡσύχου*.

ΠΡΟΣ.

De forma. Longe usitatissima est forma *πρός* et in præpositione simplici et in verbis cum ea compositis. Poetica autem forma *ποτί* et ipsa non solum cum casu conjungitur Sept. 295, Ag. 725, Eum. 79, sed etiam in compositis usurpatur *ποτινίσσομαι* Prom. 530, *ποτιπίπτω* Sept. 96, *ποτιτρόπαιος* Suppl. 362, Eum. 176[1]); ante vocalem autem syllaba finalis eliditur in *ποταίνιος* Prom. 102, Sept. 239[2]), Choeph. 1055, Eum. 282. Alia vero præpositionis forma *προτί* num ab Aeschylo sit adhibita, valde dubitari potest. Illam enim formam Sept. 346, quo uno loco interpretes nonnulli eam posuerunt, codex Mediceus non habet; Tauriensis solus præbet *πρὸ τί πτόλιν*, eandemque scripturam habet Guelferbutanus, sed eam ex emendatione factam, quum antea *ποτί πτόλιν* fuisset, ut ex adnotatione Hermanni apparet. Quamquam igitur valde incertum est, num eam formam Aeschylo tribuamus, tamen quum nihil melius habeam, optimis criticis Hermanno, Ritschelio, aliis assentientibus eam accipiendam censeo atque cum Heimsoethio hoc loco legendum *κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ, προτὶ δ' ὀρκάναν πυργῶτιν*. E ceteris autem formis, quas Curtius[3]) enumerat, apud Aeschylum nulla invenitur.

De significatione.

1. *Πρός* cum accusativo conjunctum

A) *locali* usu tribus utitur significationibus.

a) Una enim est notio, qua præpositio e verbis *movendi* suspensa indicat, quem ad locum aliquis vel aliquid promoveatur, quum *πρός* *ad* interpretamur.

---

1) Aliud verbum cum *ποτί* compositum Dindorf conjecit Sept. 83 *ποτιχρίμπτομαι*.

2) Heimsoeth hoc loco *ποτίφατον* conjecit, quæ conjectura a Dindorfio accepta est.

3) Grundzüge der Griechischen Etymologie von G. Curtius. 4:te Auflage, Leipzig 1873, pag. 285.

Ex. Ac primum quidem præpositio motum ad homines directum indicat, ut Prom. 276 sq. *ταὐτά τοι πλανωμένη πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονή*. ibid. 284 sq. *ἥκω — πρὸς σέ*. Eum. 934 sq. *τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν πρὸς τάσδ' ἀπάγει*. Choeph. 659 *πρὸς οὕσπερ ἥκω*. ibid. 737 sq. *τὴν δὲ πρὸς μὲν οἰκέτας θέτο σκυθρωπόν*, quod interpretamur *hunc (nuntium) ferebat ad familiares tristem*[1]).

Deinde præpositio sæpissime aliquem vel aliquid ad montes, flumina, campos, terras aliaque loca moveri, ut Prom. 652 sq. *ἔξελθε πρὸς Λέρνης — λειμῶνα, ποίμνας βουστάσεις τε πρὸς πατρὸς*. ibid. 676 *ᾖσσον πρὸς εὔποτόν τε Κερχνείας ῥέος*. ibid. 719 *πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς*. ibid. 792 sq. *ἔς τ' ἂν ἐξίκῃ πρὸς Γοργόνεια πεδία*. ibid. 828 *πρὸς αὐτὸ δ' εἶμι τέρμα σῶν πλανημάτων*. ibid. 829 *ἐπεὶ γὰρ ἦλθες πρὸς Μολοσσὰ γάπεδα*. ibid. 837 *ᾖξας πρὸς μέγαν κόλπον Ῥέας*. ibid 854 *πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται*. Sept. 55 sq. *ὡς πάλῳ λαχὼν ἕκαστος αὐτῶν πρὸς πύλας ἄγοι λόχον*. ibid. 295 sq. *τοὶ μὲν γὰρ ποτὶ πύργους — στείχοισιν*. Pers. 205 *ὁρῶ δὲ φευγόντ' ἀετὸν πρὸς ἐσχάραν*. ibid. 737 *πρὸς ἤπειρον σεσῶσθαι τήνδε*. ibid. 1038 *πρὸς δόμους δ' ἴθι*. Ag. 297 sq. *ὑπερθοροῦσα πεδίον Ἀσώπου — πρὸς Κιθαιρῶνος λέπας*. ibid. 647 *ἥκοντα πρὸς χαίρουσαν εὐεστοῖ πόλιν*. ibid. 666 *μήτ' ἐξοκεῖλαι πρὸς κραταίλεων χθόνα*. ibid. 679 *ἐλπίς τις αὐτὸν πρὸς δόμους ἥξειν πάλιν*. ibid. 867 sq. *ὡς πρὸς οἶκον ᾠχετεύετο φάτις*. ibid. 1087 sq. *ποῖ ποτ' ἤγαγές με; πρὸς ποίαν στέγην; πρὸς τὴν Ἀτρειδᾶν*. ibid. 1298 *πρὸς βωμὸν εὐτόλμως πατεῖς*. ibid. 1657 *στεῖχε καὶ σὺ χοὶ γέροντες πρὸς δόμους πεπρωμένους*. Eum. 39 *ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν*. ibid. 55 *πρὸς θεῶν ἀγάλματα φέρειν δίκαιος*. ibid. 79 *μολὼν δὲ Παλλάδος ποτὶ πτόλιν*. ibid. 764 *ἄπειμι πρὸς δόμους*. Quo usu præpositio de flatu venti dicitur Fragm. 195 *Βορεάδας ἥξεις πρός πνοάς*, itemque de luce solis usurpatur Ag. 1182 sq. *ὥστε — κλύζειν πρὸς αὐγάς τοῦδε πήματος πολὺ μεῖζον*, quod Hermann interpretatur »*ut tamquam unda hoc malo multo gravius, Agamemnonis cædes, in claram solis lucem proruat*».

In exemplis supra allatis *πρός* semper cum verbis movendi conjungitur. Eadem vero notione utitur præpositio e locutionibus suspensa, quibus vis motus inest, ut Ag. 343 sq. *δεῖ γὰρ πρὸς οἴκους νοστίμου σωτηρίας κάμψαι διαύλου θάτερον κῶλον*, ubi præpositio et ex substantivo verbali (*σωτηρίας*), cui motus vis involuta est, et e locutione (*κάμψαι — κῶλον*) suspenditur. Ita præpositio usurpatur etiam Sept. 466 *ἀνὴρ ὁπλίτης κλίμακος προσαμβάσεις στείχει πρὸς ἐχθρῶν πύργον*[2]).

---

1) Hæc est Weilii emendatio. Vulgatam scripturam rejiciendam esse docet Dindorf, quum dicit *πρὸς μὲν* — non apte juncta præcedentibus verbis, in quibus inutile est *τήνδε*. Alteram vero damnandi causam præbent duo iterata verba ejusdem significationis, quorum utrumque (*θέσθαι κεύθειν*) celandi vim habet. Aliam autem conjecturam Madvig (Advers. crit. I p. 205) protulit, quæ et ipsa est probanda.

2) Quo modo verbum *στείχειν* hoc loco usurpatur, eodem modo coustruitur etiam Ag. 80 *στείχειν ὁδούς*, Prom. 708 *στείχειν γύας*; quapropter interpretatio Blomfieldii, qui *στείχειν* vertit *admovere*, rejicienda est.

Nonnumquam verbum, e quo pendet præpositio, omittitur, quod verbum tamen e præcedentibus facile cogitatione suppletur, ut Ag. 283 *Ἴδη μὲν πρὸς Ἑρμαῖον λέπας*, ubi præcedens verbum (*ἔπεμπεν*) iteratum cogitatur, itemque Sept. 345 sq. *κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ, ποτὶ δ' ἑρκάναν πυργῶτιν*, ubi quoddam movendi verbum facile auditur.

Adn. 1. Duobus locis præpositio de partibus quibusdam corporis dicta plagas vel aliud ejusmodi in eas dirigi significat, ut Eum. 592 *ξιφουλκῷ χειρὶ πρὸς δέρην τεμών*, itemque Ag. 432 *πολλὰ γοῦν θιγγάνει πρὸς ἧπαρ*, quæ sententia paulo aliter præpositione *ἐπί* exprimitur Ag. 792 *ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται*. Adnotatum velim verbum *τέμνειν* alibi Choeph. 1047 cum accusativo, verbum *θιγγάνειν* autem Sept. 44, ibid. 258 cum genetivo eadem manente sententia conjungi. Quæ quum ita sint, tamen præpositio his duobus locis supervacanea non putanda est. Nam vis motus, quæ verbis inest, præpositione exposita expressius significatur.

Adn. 2. Nonnullis locis quum præpositio cum accusativo conjuncta e verbis suspenditur, quæ si vi quiescendi non utuntur, at certe motus notionem non satis aperte habent, tamen ita quoque significatio motus aut in verbo, e quo *πρός* suspenditur, quasi latere putanda est aut e verbis præcedentibus deducenda est. Verba autem, quum ita usurpantur, in prægnanti, quæ vocatur, constructione poni dicuntur. Cujus usus duo sunt exempla, e quibus unum invenitur Ag. 1349 *πρὸς δῶμα δεῦρ' ἀστοῖσι κηρύσσειν βοήν*, ubi significationem motus, quæ in verbo *κηρύσσειν* latere putanda est, Klausen recte exprimit interpretans »*ad ædes huc convocando imperare civibus auxilium*«. Alterum vero exemplum legitur Suppl. 184 sq. *τάχ' ἂν πρὸς ἡμᾶς τῆσδε γῆς ἀρχηγέται ὀπτῆρες εἶεν*, quod interpretamur *fortasse sunt hujus terræ duces ad nos proficiscentes speculatores*, i. e. ut nos speculentur; præpositionem enim et e quodam movendi verbo, quod e præcedentibus facile cogitatione suppletur, et e substantivo (*ὀπτῆρες*) suspensam esse putamus, de qua præpositionis cum verbis videndi conjunctæ notione infra dicetur.

b) Alia vero est notio, qua præpositio e verbis movendi pendens aliquid alicui rei imponi indicat, quum *πρός* germanice *auf*, *an* interpretamur. Qua notione *πρός* sæpe motum e superiore loco in inferiorem directum significat ut Suppl. 793 *πρὸς ὃν κύφελλ' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών*, quod Kruse interpretatur »*an dem der Wolken feuchter Thau zu Schnee gerinnt*«, itemque Choeph. 152 sq. *ἵετε δάκρυ καναχὲς ὀλόμενον ὀλομένῳ δεσπότᾳ πρὸς ἔρμα γᾶς τόδε κεδνόν*[1]), et Sept. 49 sq. *μνημεῖά θ' αὐτῶν — πρὸς ἅρμ' Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον.* Huc fortasse referri potest etiam Sept. 185 *βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν.*

c) Alia vero est significatio, quum *πρός* latine *ad — versus*, germanice *gegen* interpretamur. Cujus usus duplex est ratio.

1) Quum postremum versum corruptum esse satis constet, lectionem Hermanni attuli. Quo loco Hermann, Klausen *πρὸς ἔρμα* interpretantur »*ad, propter tumulum*«, quæ interpretatio et ipsa probanda est, de qua notione suo loco dicetur.

α) E verbis movendi pendens præpositio indicat, ad quem locum versus aliquid promoveatur, ut Prom. 707 sq. *ἡλίου πρὸς ἀντολὰς στρέψασα σαυτήν*, itemque Ag. 1180 sq. *λαμπρὸς δ' ἔοικεν ἡλίου πρὸς ἀντολὰς πνέων ἐσᾴξειν.* Huc fortasse pertinet etiam Prom. 791 *πρὸς ἀντολὰς φλογῶπας ἡλιοστιβεῖς*, quod exemplum tamen num hoc loco sit ponendum, dubitari potest, nam quum aliquos versus hic excidisse satis constet, incertum est, quo hæc verba sint referenda.

β) E verbis quiescendi suspensa atque de situ cujusdam loci dicta præpositio exprimit, quem ad locum versus aliquid spectet. Qua significatione præpositio etiam cum genetivo conjungitur. Quæ constructiones inter se non differunt nisi ratione, qua situs loci cujusdam describitur. Quum enim in situ loci cujusdam describendo Græci duabus rationibus utuntur, una, quum a semet ipsi ad locum, qui est depingendus, cogitatione quasi moveri videntur, altera, quum ab eo loco, de quo sermo est, ad semet ipsi cogitatione venire videntur, illam describendi rationem præpositione *πρός* cum accusativo conjuncta, hanc autem præpositione *πρός* cum genetivo posita exprimunt. Cujus usus duo exstant exempla Fragm. 327 *Αἴγινα δ' αὕτη πρὸς νότου κεῖται πνοάς*, itemque Prom. 348 *πρὸς ἑσπέρους τόπους ἕστηκε*, quod Wecklein recte interpretatur »*gegen Abend*, die Richtung vom Standpunkt des sprechenden aus, der glechsam dahin deutet»[1]).

Adn. Aptissime hoc loco pauca de ea notione sunt dicenda, quam præpositio nonnumquam apud poetas habet, quum *πρός* latine *apud*, *propter*, *juxta* interpretamur. Cujus usus duas paulo inter se diversas notiones puto posse discerni.

α) Una est enim notio, qua præpositio e verbis *movendi* suspensa aliquem *juxta*, *prope*, *propter* quendam locum moveri significat, ut Eum. 1003 sq. *προτέραν δ' ἐμὲ χρὴ στείχειν — πρὸς φῶς ἱερὸν τῶνδε προπομπῶν*, quod Franz vertit »ich gehe voran — bei dem festlichen Licht dieser Geleiter». A quo usu non ita multum abesse videtur ea notio, quæ invenitur Eum. 247 *πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν*, ubi Paley docet *πρός* eodem fere modo quo *κατά* in locutionibus usurpari, quales sunt *κατ' ἴχνος ἕπεσθαι, θηρεύειν*.

β) Altera autem est notio, qua præpositio e verbis suspensa, quæ si vi quiescendi non utuntur, at certe motus significationem non satis aperte habent, aliquid ad quendam locum moveri atque illuc promotum ibi versari et manere indicat. Quam notionem prægnanti, quæ vocatur, constructione statuenda ita declarandam esse puto, ut vis motus aut in iis verbis, quibuscum *πρός* conjungitur, quasi latere putanda sit aut e præcedentibus sit depromenda, de quo usu Kühner hæc dicit:[2]) »Diese Konstruktion ist aus der Verschmelzung Zweier Begriffe hervorgegangen, indem der Redende neben dem Momente der Ruhe zugleich auch das Moment der der eingetretenen Ruhe vorausgegangenen Bewe-

---

1) Loco ita exposito Bergkii conjectura, a Weilio probata, non opus est.

2) p. 469.

gung denkt und ausdrückt». Ita vero credo duo exempla interpretanda esse, e quibus unum invenitur Ag. 1557 sq. *πατέρ' ἀντιάσασα πρὸς ὠκύπορον πόρθμευμ' ἀχέων*, ubi motus vim, quæ verbo *ἀντιάζειν* inest, declarare possumus vertendo *ad Acherontem profecta illic patri obviam ibit.* Alterum vero exemplum legitur Choeph. 904 *ἕπου, πρὸς αὐτὸν τόνδε σὲ σφάξαι θέλω*, ubi vis motus, e qua præpositio pendere putanda est, aut e præcedenti verbo (*ἕπεσθαι*) aut e participio (*ἄγων*) deducenda est, quod cogitatione supplendum esse recte docet Paley. Jam supra dixi locum Choeph. 152 sq. ita explicari posse, ut præpositio hoc loco ea, de qua nunc agitur, notione uti existimari possit. Huc autem referendum esse nonnulli putant etiam Choeph. 926 *ἔοικα θρηνεῖν ζῶσα πρὸς τύμβον μάτην*, quod exemplum tamen aliter credo interpretandum esse, de quo infra dicetur.

B) Translatæ significationes.

a) Una est notio, qua *πρός* e verbis *videndi* suspensum oculorum conjectum aliquo versum directum indicat. Cujus usus unum invenitur exemplum Suppl. 725 *πρὸς πρᾶγμ' ὁρῶσας*. Plura autem exempla ejusdem significationis collecta invenies Ellendt. Lex. Soph. p. 661.

b) Alia vero est notio, qua præpositio cum verbis *dicendi* conjuncta orationem ad aliquem haberi significat. Qua notione *πρός* semper de *hominibus* usurpatur.

Ex. Primum quidem verbis dicendi *πρός* adjungitur, ut Suppl. 204 *πρὸς φρονοῦσαν ἐννέπεις*. ibid. 247 *πρὸς σὲ πότερον ὡς ἔτην λέγω*. ibid. 742 *λέγω πρὸς εἰδότα*. Ag. 856 sq. *οὐκ αἰσχυνοῦμαι τοὺς φιλάνορας τρόπους λέξω πρὸς ὑμᾶς*. ibid. 1402 *πρὸς εἰδότας λέγω*. Choeph. 265 sq. *ὅπως μὴ — ἀπαγγείλῃ τάδε πρὸς τοὺς κρατοῦντας*. ibid. 677 *ἀγνὼς πρὸς ἀγνῶτ' εἶπε συμβαλὼν ἀνήρ*. ibid. 681 sq. *πρὸς τοὺς τεκόντας — τεθνεῶτ' Ὀρέστην εἰπέ*. ibid. 829 *θροούσᾳ πρὸς σέ*. Eum. 614 *λέξω πρὸς ὑμᾶς*.

Deinde e locutionibus, quibus dicendi vis inest, suspensa præpositio invenitur Prom. 611 *ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους οἴγειν στόμα*. Eadem vero notione uti præpositio putanda est etiam Eum. 971 sq. *ὅτι μοι γλῶσσαν καὶ στόμ' ἐπωπᾷ πρὸς τάσδ' ἀγρίως ἀπανηναμένας*, ubi *λεγομένῃ* vel tale quid cogitatione suppletur.

Adn. A quo usu non multum abesse videtur ea significatio, qua præpositio indicat, ad quem quis precibus, lamentationibus se vertat. Ita vero usurpatum *πρός* invenitur Ag. 1323 sq. ubi Paley, itemque Dindorf, legendum esse censet *ἡλίου δ' ἐπεύχομαι πρὸς ὕστατον φῶς τοὺς ἐμοὺς τιμαόρους — φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν φόνον*, ubi *πρός* e verbo *ἐπεύχεσθαι* suspenditur[1]). Eadem fere significatio invenitur etiam Choeph. 926 *ἔοικα θρηνεῖν ζῶσα πρὸς τύμβον μάτην*, ubi Butlerus adnotatione scholiastæ (*παροιμίαν εἶναι*

1) Nägelsbach autem aliter interpretans participium *τρεπομένη* hoc loco cogitatione supplendum esse docet. Quæ interpretatio si accipienda est, præpositio in prægnanti, quæ vocatur, constructione poni putanda est, de qua supra dictum est

τοῦτό φασι, πρὸς τύμβον τε κλαίειν καὶ πρὸς ἄνδρα νήπιον) accepta docet *τύμβον* de Oreste capiendum, qui æque surdus est ac *τύμβος*, de quo præpositionis usu cfr Il. 8, 364 *κλαίεσκε πρὸς οὐρανόν*[1]).

c) Alia vero est notio, qua præpositio de qualibet actione aliquo spectante dicitur, quam quis gerit. Quam tralationem ex illa primaria significatione sic deducendam censeo, ut *πρός* depingere existimetur, quo versum actio alicujus dirigatur. Cujus usus duplex est ratio.

α) Una enim est notio, qua præpositio actionem hostiliter susceptam indicat, quum *πρός contra, adversus* interpretamur.

Ex. Ac primum quidem ita de *rebus* dicitur, ut Prom. 323 *πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς*, Ag. 1624 *πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε*, Prom. 1010 *πρὸς ἡνίας μάχει*. Deinde ita etiam de *hominibus* dicitur, ut Suppl. 983 sq. *καί μου τὰ μὲν πραχθέντα πρὸς τοὺς ἐγγενεῖς φίλους πικρῶς ἤκουσαν*, quod Weil interpretatur »*atque me dicente in nos consanguineos ab ipsis patruelibus commissa cum indignatione audiverunt*«[2]). Eadem vero significatio invenitur etiam Choeph. 460 *ξὺν δὲ γενοῦ πρὸς ἐχθρούς*, itemque Eum. 863 *Ἄρη ἐμφύλιόν τε καὶ πρὸς ἀλλήλους θρασύν*.

β) Altera autem est notio, qua præpositio benignitatem erga aliquem ostensam designat, quum *πρός erga* interpretamur, ut Suppl. 339 *πῶς οὖν πρὸς ὑμᾶς εὐσεβὴς ἐγὼ πέλω*. Eadem vero notio invenitur etiam Ag. 725 sq. *φαιδρωπῶς ποτὶ χεῖρα σαίνοντα γαστρὸς ἀνάγκαις*, ubi catulus leonis vultu hilari atque læto benignum erga dominum se præbere dicitur. Uno autem loco præpositio utraque et hostilitatis et benignitatis notione utitur Prom. 491 sq. *πρὸς ἀλλήλους τίνες ἔχθραι τε καὶ στέργηθρα καὶ συνεδρίαι*. — Eas vero, de quibus nunc dictum est, notiones puto omnes e primaria locali significatione facile deduci posse. Quæ autem sequuntur tralationes, ab illa primaria notione tam longe recedunt, ut originem ex ea ductam non satis aperte ostendant.

Hoc loco mihi adnotandum esse putavi apud Aeschylum etiam præpositionem *εἰς* iis notionibus, de quibus nunc dixi, utentem inveniri, de quo usu cfr Menge d. præp. usu p. 65 sq.

Adn. Aptissime hoc loco de eo usu dicendum est, quo præpositio indicat, quid quis ad aliquid habeat respondere. Cujus usus duo inveni exempla, e quibus unum legitur Eum. 586 *ἔπος δ' ἀμείβον πρὸς ἔπος ἐν μέρει τιθείς*, ubi substantivum eodem substantivo cum *πρός* repetito legi observandum est. In altero autem exemplo *πρός*

---

1) Talibus autem exemplis, qualia sunt Suppl. 116, Ag. 1322, collatis Paley hunc locum ita acceptum vult, ut Kl. suum ipsa lessum canere putetur, quam interpretationem probat adnotando: »the phrase originally meant, that the living expressed their sorrows in vain to the tomb of their dead relatives«.

2) Emendationem Krusii, a Weilio et Dindorfio acceptam, mihi afferendam esse putavi.

eadem notione utens cum neutro pronominis conjungitur Eum. 436 τί πρὸς τάδ' εἰπεῖν — ἐν μέρει θέλεις.

d) Aliter vero præpositio usurpatur, quum consilium quoddam aliquo facto assequendum esse indicat.

Ex. Sept. 20 ὅπως γένοισθε πρὸς χρέος πιστοὶ τόδε. ibid. 214 ἦρθην φόβῳ πρὸς μακάρων λιτάς, quod Ahrens interpretatur »*metu excitata ad deorum supplicationes me converti*». Suppl. 627 sq. ἐφορεύοι — στόματος τιμὰς — τέρμον' ἀμέμπτον πρὸς ἅπαντα, quod Paley interpretatur »may Zeus regard with favour the requital of a stranger's prayers, so as to give them accomplishment satisfactorily in every result»[1]). ibid 832 βαῖνε φυγᾷ πρὸς ἀλκάν, quod scholiasta interpretatur πρὸς τὴν θεῶν ἀλκήν. Ag. 1057 ἕστηκεν ἤδη μῆλα πρὸς σφαγὰς πυρὸς, ubi Nägelsbach πρὸς σφαγὰς πυρός interpretatur »um als Brandopfer geschlachtet zu werden».

e) Alia autem est notio, qua præpositio aliquid aliquo spectare vel ad aliquam rem attinere significat, quum πρός germanice interpretamur *in Betreff, in Beziehung auf*.

Ex. Primum quidem πρός ita cum substantivo conjungitur, ut Ag. 844 sq. τὰ δ' ἄλλα πρὸς πόλιν τε καὶ θεοὺς — βουλευσόμεσθα, quod Hermann vertit »*de republica et si quid in sacris neglectum sit, convocato populo consulemus*». Alterum autem exemplum ejusdem significationis invenitur etiam Prom. 999 sq. τόλμησόν ποτε πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς ὀρθῶς φρονεῖν, ubi Blomfield πρός anglice »*in consideration of*» interpretatur[2]). Deinde præpositio eadem notione cum neutro pronominis conjungitur Choeph. 218 καὶ πρὸς τί δῆτα τυγχάνω κατευγμάτων, quod svethice interpretamur *i hvilket afseende vinner jag mina önskningar*. Huc fortasse referendum est etiam Pers. 730 πρὸς τάδ' ὡς Σούσων μὲν ἄστυ πᾶν κενανδρίαν στένει[3]).

Adn. 1. A quo usu ea notio deducenda esse videtur, qua præpositio significat, qua de causa aliquid fiat, quum πρός latine *propter* interpretamur. Ac primum quidem ita cum substantivo conjungitur Choeph. 413 sq. σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται πρὸς ἔπος κλυούσᾳ, ubi Blomfield πρός cum verbo κελαινοῦται conjungendum esse docet, quam interpretationem etiam Paley probare videtur, quum πρὸς ἔπος κλυούσᾳ anglice vertit »*at the word as I hear it*»[4]). Deinde πρός ita usurpatur cum neutro pronominis conjunctum Suppl. 302 τί δῆτα πρὸς ταῦτ' ἄλοχος ἰσχυρὰ Διός, quod Linwood interpretatur »*what*

1) Hæc est emendatio Hermanni, a Dindorfio accepta. De constructione verbi ἐφορεύειν Weckleïn (Stud. zu Aesch. p. 81 sq.) confert Eum. 530.

2) Glossar. v. 1036.

3) Quod exemplum tamen aliter interpretari possumus ita, ut πρὸς τάδε idem significare existimetur atque particula conclusiva, ut *propterea, proinde*, de quo usu infra mox dicetur.

4) Alii autem πρὸς ἔπος e participio κλυούσᾳ suspendi putant. Quæ interpretatio si est probanda, præpositio eandem fere notionem habere putanda est, qua utitur, quum e verbis videndi suspenditur, de quo usu supra dixi.

does she in consequence of these things», quod exemplum ad eam notionem, de qua nunc dicendum est, viam quasi munire videtur.

Adn. 2. Nonnullis locis præpositio cum neutro pronominis demonstrativi ita conjungitur, ut *πρὸς ταῦτα, πρὸς τάδε* idem fere significet atque latine particula conclusiva *propterea, proinde.*

Ex. Primum quidem *πρὸς ταῦτα* quinque locis cum imperativo conjungitur Prom. 915 *πρὸς ταῦτά νιν θαρσῶν καθήσθω* ibid. 992 *πρὸς ταῦτα ῥιπτέσθω μὲν αἰθαλοῦσα φλόξ.* ibid. 1030 *πρὸς ταῦτα βούλευ.* Sept. 57 sq. *πρὸς ταῦτ' ἀρίστους ἄνδρας — τάγευσαι τάχος.* Pers. 829 *πρὸς ταῦτ' ἐκεῖνον — πινύσκετε.* Suppl. 520 *πρὸς ταῦτα μίμνε.* Uno autem loco cum conjunctivo partes imperativi agente conjungitur Suppl. 1006 *πρὸς ταῦτα μὴ πάθωμεν.* Deinde *πρὸς τάδε* duobus locis cum imperativo conjungitur Eum. 545 sq. *πρὸς τάδε — αἰδόμενός τις ἔστω.* Pers. 170 *πρὸς τάδ', ὡς οὕτως ἐχόντων τῶνδε, σύμβουλοι — γένεσθε,* ubi *πρὸς τάδε* addita illa apud prosarios usitata constructione (*ὡς — τῶνδε*) expressius explicari observandum est. Semel autem cum optativo conjungitur Sept. 312 sq. *πρὸς τάδ' — ἄροισθε κῦδος τοῖσδε πολίταις.* Ex quo facile apparet *πρὸς ταῦτα, πρὸς τάδε* apud Aeschylum semper fere cum imperativo, conjunctivo partes imperativi agente vel optativo conjungi excepto uno loco Pers. 730 *πρὸς τάδ' ὡς Σούσων μὲν ἄστυ πᾶν κενανδρίαν στένει,* quod exemplum tamen aliter explicari potest, de quo jam supra dictum est.

f) Alia vero est significatio, qua præpositio quandam rerum inter se convenientiam indicat, quum *πρός* latine *secundum*, germanice *gemäss* interpretamur.

Ex. Sept. 519 *πρὸς λόγον τοῦ σήματος,* quod Paley vertit *»in conformity with the device»*, quem versum quamquam interpretes certatim damnarunt, tamen putavi interpretatione esse explicandum, quum usus præpositionis hoc loco adhibitus nullam damnandi causam præberet. Ita vero *πρός* usurpatur etiam Ag. 332 *πρὸς οὐδὲν ἐν μέρει τεκμήριον,* quod Paley interpretatur *»according to no ticket in the distribution»*. Huc referendum est etiam Ag. 287 *πρὸς ἡδονὴν πεύκης,* quod Hermann interpretatur *»ut pro libitu luxuriaretur flamma»*[1]), itemque Prom. 494 *εἴη δαίμοσιν πρὸς ἡδονὴν* quæ duo exempla ad sequentem notionem viam quasi præmunire videntur[2])

Adn. Nonnullis locis *πρός* cum accusativo substantivi conjunctum ita usurpatur, ut adverbium circumscribat.

---

1) Hæc est Hermanni emendatio, quam Dindorf et Nägelsbach accipiendam censent.

2) De loco autem Choeph. 415 sq. nihil certi dicere audeo; quum enim, ut Dindorf Lex. Aesch. s. voce *ἀφίστημι*) optimo jure dicit, hujus corrupti loci nulla dum inventa sit emendatio probabilis, de significatione præpositionis hoc loco adhibita quidquam affirmare non facile est. Quos versus Weil hunc in modum restituere conatus est. *ὅταν δ' αὖτ' ἐπαλκὲς, θρασεῖα ἐλπὶς ἀπέστασεν ἄχος πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς,* ubi Klausenio auctore *πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς* interpretamur *ita ut grata res mihi apparitura sit*, quæ interpretatio si accipienda est, præpositio *eventum* vel *effectum* indicare putanda est.

Ex. Quatuor locis *πρὸς βίαν* legitur Prom. 208 *πρὸς βίαν τε δεσπόσειν*, ibid. 353 *πρὸς βίαν χειρούμενος*, ibid. 592 *πρὸς βίαν γυμνάζεται*, ibid 672 *ἐπηνάγκαζέ νιν Διὸς χαλινὸς πρὸς βίαν πράσσειν τάδε*. Uno autem loco *πρὸς τὸ βίαιον* invenitur Ag. 129 sq. *κτήνη — Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον*. Semel vero *πρὸς τὸ καρτερόν* legitur Prom. 212. Uno vero loco invenitur *πρὸς κόρον*, quod Paley græce *ὑβριστικῶς* interpretatur Ag. 382 *πρὸς κόρον ἀνδρὶ λακτίσαντι*. Item uno loco invenitur *πρὸς ἀλκήν* Sept. 498 *βακχᾷ πρὸς ἀλκήν*, quod Linwood recte interpretatur »*rages with all his might*«[1]). Restat vero unum exemplum Pers. 569 *λειφθέντες πρὸς ἀνάγκαν*[2]).

Ea autem notio, de qua nunc dixi, aliquantum mutari videtur, quum genetivus substantivo additur, quocum *πρός* conjungitur. Cujus usus duo inveni exempla, e quibus unum legitur Eum. 5 *οὐδὲ πρὸς βίαν τινός*, quod latine vertimus *neque quoquam invito*. Prorsus eadem significatio invenitur etiam Ag. 876 *ἔλυσαν ἄλλοι πρὸς βίαν λελημμένης*.

II. *Πρός* cum dativo conjunctum

A) locali usu duas habet notiones.

a) Una enim est notio, qua præpositio e verbis *quiescendi* suspensa aliquem vel aliquid alicubi versari et commorari indicat, quum *πρός* latine *apud, juxta, propter* interpretamur. Quo usu *πρός* sæpe aliquid juxta flumina, mœnia, terras aliaque loca situm esse significat.

Ex. Primum quidem *πρός* e verbis quiescendi suspenditur, ut Prom. 808 *πρὸς ἡλίου ναίουσι πηγαῖς*. ibid. 846 sq. *ἔστιν πόλις — Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι*. Pers. 815 sq. *τόσος γὰρ ἔσται πέλανος — πρὸς γῇ Πλαταιῶν*. Ag. 559 *εὐναὶ γὰρ ἦσαν δαΐων πρὸς τείχεσιν*. Eum. 855 *ἕδραν ἔχουσα πρὸς δόμοις Ἐρεχθέως*. Semel autem præpositio sine verbo legitur Pers. 232 *πρὸς δυσμαῖς ἄνακτος Ἡλίου φθινάσμασιν*, ubi tamen e superioribus verbum quiescendi (*ἱδρῦσθαι*) facile cogitatione suppletur. Deinde aliis quoque verbis addita præpositio aliquid juxta quendam locum fieri in universum indicat, ut Prom. 269 *κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις*. Sept. 337 *πρὸς πύλαισι Προιτίσι βρέμει*. ibid. 456 *τὸν ἐντεῦθεν λαχόντα πρὸς πύλαις λέξω*. ibid. 500 *φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται*, quod Hermann interpretatur »*terror sese jactat ad portas*«. Eum. 282 sq. *πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη*. ibid. 305 *πρὸς βωμῷ σφαγείς*. ibid. 451 *πρὸς ἄλλοις ταῦτ' ἀφιερώμεθα οἴκοισι*.

Quo usu præpositio semel etiam e verbo *cadendi* ita suspenditur, ut aliquem juxta quendam locum cadere indicet, Sept. 462 *θελούσας πρὸς πύλαις πεπτωκέναι*.

---

1) Explicatio autem scholiastæ, qui *ἀλκήν* interpretatur *πόλεμον*, rejicienda est, quum *ἀλκή* apud Aeschylum nusquam hac vi utatur. Nam duobus locis (Sept. 569, 876), ubi ea significatio substantivo *ἀλκή* inesse videtur, vis roboris potius vel potentiæ inesse putanda est.

2) Hæc est scriptura Hermanni, quam Teuffel accipiendam censet. Dindorf et Weil *πρὸς ἀνάγκας* legunt, ubi *πρὸς* agentis, quem vocant, vice fungitur, de quo usu infra dicetur.

Nonnumquam *πρός* ea notione non de locis, sed de partibus quibusdam corporis dicitur, ut Choeph. 897 sq. *μαστὸν, πρὸς ᾧ — ἐξήμελξας — γάλα.* ibid. 1024 *πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος ᾄδειν ἕτοιμος,* quod Franz vertit »Schon am Herzen will die Furcht ihr Lied beginnen«[1]). Eum. 445 *οὐδ' ἔχων μύσος πρὸς χειρὶ τἠμῇ.*

In exemplis supra allatis præpositio semper de *locis* vel *rebus* dicitur. Ita vero *πρός* usurpatur etiam Suppl. 241 sq. *κλάδοι — κεῖνται παρ' ὑμῖν πρὸς θεοῖς ἀγωνίοις,* ubi de statuis deorum dicitur.

b) E verbis autem motum significantibus suspensa atque prægnantem, quam vocant, significationem habens præpositio aliquid aliquo versus promoveri atque eo promotum ibi manere et commorari indicat.

Ex. Primum quidem *πρός* ea notione cum verbis *ligandi* vel *affigendi* conjungitur Prom. 4 *τόνδε πρὸς πέτραις — ὀχμάσαι.* ibid. 15 *θεὸν δῆσαι βίᾳ φάραγγι πρὸς δυσχειμέρῳ.* ibid. 56 *πασσάλευε πρὸς πέτραις.* Sept. 492 *ὅστις τόδ' ἔργον ὤπασεν πρὸς ἀσπίδι.* Deinde præpositio e verbis *collocandi* vel *mittendi* suspenditur Sept. 570 *πρὸς πύλαις τεταγμένος.* Ag. 330 sq. *πόνος νήστεις πρὸς ἀρίστοισιν — τάσσει.* Tum præpositio semel e verbo *nectendi* suspenditur Fragm. 208 *πρὸς πτύοις πεπλεγμένην.* Postremo *πρός* cum verbo *jaciendi* ita conjungitur, ut aliquid e superiore loco in inferiorem ferri indicet Fragm. 182 *μηδ' αἵματος πέμφιγα πρὸς πέδῳ βάλῃς.*

Ad quem usum proxime accedit ea notio, qua *πρός* e verbis *feriendi, confringendi,* similibus suspensum aliquid alicui rei atteri vel confringi indicat. Cujus usus hæc inveniuntur exempla Ag. sq. 995 *σπλάγχνα δ' οὔτοι ματάζει πρὸς ἐνδίκοις φρεσὶν — κυκλούμενον κέαρ,* quod Hermann vertit »*cor ad veracia agitatum præcordia*«. ibid. 654 *ναῦς γὰρ πρὸς ἀλλήλαισι Θρῄκιαι πνοαὶ ἤρεικον.* ibid. 1535 sq. *δίκην δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα*[2]). A quo usu non multum abesse videntur hæc exempla Prom. 885 sq. *θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης,* quod Weil interpretatur »*turbida dicta vagantur inter diros malorum fluctus*«. Sept. 210 *νεὼς καμούσης ποντίῳ πρὸς κύματι.* ibid. 926 *παίσας δὲ τῷδε πρὸς κακῷ.*

B) *Translate* usurpata præpositio semper unam eandemque habet notionem, quæ aliquam rem ad alteram insuper accedere indicat, quum *πρός* germanice *ausser* interpretamur, quæ significatio et apud prosarios et apud poetas frequentissima est.

Ex. Primum quidem *πρός* ita cum substantivo conjungitur Prom. 774 *τρίτος γε γένναν πρὸς δέκ' ἄλλαισιν γοναῖς.* Suppl. 991 sq. *καὶ ταῦτα μὲν γράψεσθε πρὸς γεγραμμένοις πολλοῖσιν ἄλλοις σωφρονίσμασιν πατρός.* Pers 531 *μὴ καί τι πρὸς κακοῖσι προσ-*

---

1) Kübner (Griech. Gram. II, p. 463) non recte facere mihi videtur, quum *πρός* hoc loco in tmesi positum esse dicit.

2) Hæc est Hermanni emendatio; aliam autem conjecturam, fortasse meliorem, van Heusde protulit, quam Weil (Pers. Addend. p. 123) accipiendam censet, quæ conjectura tamen præpositioni eandem notionem attribuit.

θῆται κακόν. Semel autem *πρός* articulo cum adverbio conjuncto additur Pers. 470 sq. *τοιάνδε σοι πρὸς τῇ πάροιθε συμφορὰν στένειν πάρα.* Deinde præpositio ita cum dativo participii conjungitur Prom. 321 *πρὸς τοῖς παροῦσι δ' ἄλλα προσλαβεῖν,* Ag. 500 *εὖ γὰρ πρὸς εὖ φανεῖσι προσθήκη πέλοι.* Postremo *πρός* sæpe cum dativo pronominis conjungitur Prom. 252 *πρὸς τοῖσδε μέντοι πῦρ ἐγώ σφιν ὤπασα.* ibid. 622 *καὶ πρός γε τούτοις τέρμα τῆς ἐμῆς πλάνης δεῖξον.* Sept. 265 *καὶ πρός γε τούτοις — εὖχου τὰ κρείσσω.* Pers. 237 *καὶ τί πρὸς τούτοισιν ἄλλο.*

Adn. A quo usu ea notio deducenda esse videtur, qua *πρός* sine casu dicta adverbii instar usurpatur, quum *πρός* latine *insuper, præterea* interpretamur. Cujus usus hæc inveniuntur exempla, Prom. 73 *ἦ μὴν κελεύσω κἀπιθωΰξω γε πρός.* ibid. 926 *ἅπερ τελεῖται, πρὸς δ' ἃ βούλομαι λέγω.* Choeph. 301 *καὶ πρὸς πιέζει χρημάτων ἀχηνία.* Eum. 238 sq. *προστετριμμένον τε πρὸς ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν,* quem locum huc referendum esse puto eam sequens interpretationem, quam Müller et Wellauer probarunt, quam etiam Wecklein[1]) et Kühner (p. 456) accipiendam censent[2]).

III. *Πρός* cum genetivo conjunctum

A) locali usu duas habet notiones.

a) Una est notio, qua præpositio e verbis *movendi* suspensa aliquid aliqua ex parte proficisci indicat, quum *πρός* germanice *von — her, von — aus* interpretamur. Cujus notionis quamquam apud Aeschylum nullum invenitur exemplum, mentionem mihi faciendam esse putavi, quum ex ea reliquæ notiones deducantur.

b) Altera vero est notio, qua præpositio de situ loci cujusdam usurpata aliquid in quendam cœli tractum vergere eoque spectare indicat. Qua notione utens *πρός* etiam cum accusativo conjungitur; quid autem inter has duas constructiones interesset, jam supra dixi. Cujus usus unum exstat exemplum, ubi *πρός* ex articulo suspenditur Suppl. 255 *τὸ πρὸς δύνοντος ἡλίου.* Quæ significatio etiam apud prosarios perraro invenitur, frequentissimæ autem sunt tralationes præpositionis *πρός*, quæ omnes ab ea locali notione, quæ aliquid alicunde moveri indicat, profectæ esse videntur.

B) Translatæ significationes.

a) Cum verbis præpositio ita conjungitur, ut indicet, ex quorum consilio vel voluntate res orta sit.

α) E verbis *accipiendi* suspensum *πρός* aliquem ab aliquo aliquid accipere significat.

Ex. Prom. 638 sq. *ὅπῃ μέλλοι τις οἴσεσθαι δάκρυ πρὸς τῶν κλυόντων.* Sept. 550 *εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι πρὸς θεῶν,* ubi scholiasta *πρὸς θεῶν* recte interpretatur *παρὰ*

---

1) W. Wecklein: Aeschylos Prometheus, Leipzig 1872, pag. 35.

2) Paley, alii *πρός* hoc loco præpositionem esse putant, quæ interpretatio et ipsa probari potest, quum præpositio ea notione uti putanda est, de qua supra (II, A, b) dictum est:

θεῶν[1]). Huc referendum esse videtur etiam Suppl. 1014 τἄλλ' εὐτυχοῖμεν πρὸς θεῶν Ὀλυμπίων, ubi præpositio significat, quo auctore vel quo adjuvante aliquid fiat.

β) Cum verbis *patiendi* conjuncta præpositio mala alicui ab aliquo inferri significat. Qua notione πρός semper de *persona* dicitur.

Ex. Prom. 92 οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός. ibid. 704 οἷα χρὴ πάθη τλῆναι πρὸς Ἥρας. Choeph. 418 sq. ἢ τά περ πάθομεν ἄχεα πρός γε τῶν τεκομένων, quod Weil interpretatur »*an quæ a matre nobis acciderunt mala*». Eum 100 παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων.

γ) E verbis passivis vel verbis passivæ significationis suspensum πρός agentis, quem vocant, vice fungitur.

αα) De iis igitur exemplis, in quibus πρός cum verbis passivis conjungitur, mihi pauca sunt dicenda. Ac primum quidem præpositio ita de *persona* dicitur, ut Prom. 650 Ζεὺς γὰρ — πρὸς σοῦ τέθαλπται. ibid. 761 πρὸς τοῦ τύραννα σκῆπτρα συληθήσεται. ibid. 767 ἢ πρὸς δάμαρτος ἐξανίσταται θρόνων. Sept. 347 πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνὴρ — καίνεται. ibid. 970 πρὸς φίλου ἔφθισο. Pers. 577 sq. σκύλλονται πρὸς ἀναύδων παίδων τᾶς ἀμιάντου. Suppl. 282 sq. χαρακτὴρ — πέπληκται τεκτόνων πρὸς ἀρσένων. Ag. 631 φάτις πρὸς ἄλλων ναυτίλων ἐκλῄζετο, ibid. 1097 σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας. ibid. 1251 τίνος πρὸς ἀνδρὸς τοῦτ' ἄγος πορσύνεται. Choeph. 132 sq. πεπραμένοι — πρὸς τῆς τεκούσης ibid, 345 sq. πρὸς τίνος Λυκίων — κατηναρίσθης. ibid. 845 πρὸς γυναικῶν δειματούμενοι λόγοι, quod Paley interpretatur »*spread by women in alarm*», assentiente Blomfieldio, qui interpretatur λόγοι ὑπὸ δειματουμένων λεχθέντες, Eum. 279 φωνεῖν ἐτάχθην πρὸς σοφοῦ διδασκάλου. ibid. 411 ἐν θεαῖσι πρὸς θεῶν ὁρωμένας. ibid. 593 πρὸς τοῦ δ' ἐπείσθης. Suppl. 619 διπλοῦν μίασμα πρὸς πόλεως φανέν, quod Hermann Weilio assentiente interpretatur »*piaculum a civitate commissum*». Deinde præpositio nonnumquam ita de substantivis abstractis usurpatur Prom. 762 πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων, ubi verbum συληθήσεται e præcedenti versu cogitatione suppletur. ibid. 1072 πρὸς ἄτης θηραθεῖσαι, Choeph. 884 πρὸς δίκης πεπληγμένος. Tum præpositio ita etiam de *rebus* dicitur Choeph. 104 τὸν πρὸς ἄλλης δεσποτούμενον χερός. Eum. 102 κατασφαγείσης πρὸς χερῶν μητροκτόνων.

ββ) Jam vero de iis exemplis pauca dicam, in quibus πρός cum verbis passivæ significationis conjungitur. Ac primum quidem præpositio de *persona* dicitur Prom. 948 πρὸς ὧν τ' ἐκεῖνος ἐκπίπτει κράτους, ibid. 996 πρὸς οὗ χρεών νιν ἐκπεσεῖν τυραννίδος. Ag. 1219 παῖδες θανόντες ὡσπερεὶ πρὸς τῶν φίλων. ibid. 1552 πρὸς ἡμῶν κάππεσε, κάτθανε. Eum. 625 sqq. ἄνδρα γενναῖον θανεῖν — καὶ ταῦτα πρὸς γυναικός. Ag. 1454

---

[1]) Quomodo autem hic versus cum præcedentibus et sequentibus cohæreat, vide, quæ hoc loco a Weilio sunt adnotata.

πρὸς γυναικὸς δ' ἀπέφθισεν βίον. Deinde præpositio semel de *rebus* dicitur Suppl. 66 ὤλετο πρὸς χειρὸς ἔθεν.

b) Sine verbis dicta præpositio cum substantivis et adjectivis ita conjungitur, ut indicet, ex quo aliquid originem habeat.

Ex. Ac primum quidem πρός e substantivis abstractis ita suspenditur, ut originem facti ex consilio vel voluntate alicujus repeti significet, ut Ag. 611 sq. οὐκ οἶδα τέρψιν οὐδ' ἐπίψογον φάτιν ἄλλου πρὸς ἀνδρός, ubi πρός ad τέρψιν recte referre mihi videntur Nægelsbach et Enger, qui interpretatur »*neque novi voluptatem ex alio viro, ne malam quidem famam*». Eum. 449 sq. ἔς τ' ἂν πρὸς ἀνδρὸς αἵματος καθαρσίου σφαγαὶ καθαιμάξωσι νεοθήλου βοτοῦ, ubi verba πρὸς ἀνδρός cum σφαγαί sunt conjungenda ita, ut interpretemur *cædes a viro facta*, eandemque fere interpretationem probare videtur Paley, quum vertit *until, by the ministration of a man who is a purifier from murder, the spurting of blood from a sucking pig shall have besprinkled him*»[1]).

Deinde præpositio e adjectivis passivæ significationis suspensa de *persona* ita dicitur, ut originem famæ vel existimationis alicujus ex aliquo repeti significet, ut Eum. 882 sqq. πρὸς νεωτέρας ἐμοῦ — ἄτιμος ἔρρειν, ubi πρός non solum ex adjectivo ἄτιμος, sed etiam e verbo ἔρρειν pendere videtur, quibus duobus vocabulis, et adjectivo et verbo, passiva vis involuta est, quorum hoc *pereundi* significationem habere Dindorf docet[2]). A quo usu non multum abesse videtur exemplum, quod invenitur Eum. 678 πρὸς ὑμῶν πῶς τιθεῖς' ἄμομφος ὦ, quod Ahrens interpretatur »*quomodo rem ordinem, ut a vobis non vituperer*», in quo exemplo notio præpositionis ad eam significationem proxime accedit quæ indicat, e cujus judicio aliquid spectetur, cujus usus Kühner affert exemplum Thuc. I, 71 δρῷμεν ἂν ἄδικον οὐδὲν οὔτε πρὸς θεῶν οὔτε πρὸς ἀνθρώπων, Xen, An. 2, 5, 20.

c) Cum verbo εἶναι conjuncta præpositio tribus utitur notionibus.

α) Una est notio, qua πρός aliquid ingenio alicujus convenire indicat, quum πρός germanice *gemäss* interpretamur.

Ex. Ac primum quidem præpositio ita de hominibus dicitur Ag. 592 ἦ κάρτα πρὸς γυναικὸς αἴρεσθαι κέαρ. ibid. 1636 τὸ γὰρ δολῶσαι πρὸς γυναικὸς ἦν σαφῶς. Deinde πρός ita de substantivo abstracto usurpatur Choeph. 704 πρὸς δυσσεβείας δ' ἦν ἐμοί.

β) Alia vero est notio, qua præpositio cum verbo εἶναι conjuncta aliquid alicujus interesse indicat, cujus usus unum exemplum invenitur Sept. 217 οὐκ οὖν τάδ' ἔσται πρός θεῶν, quod Weil interpretatur »*deorumne hoc intererit*»[3]).

1) Weil autem, qui verba πρὸς ἀνδρός inertia esse putat, conjecit προσαρδμοῖς, quæ conjectura optimum præbet sensum.

2) Lexicon Aeschyleum p. 113. Tamen hoc loco puto aliam quoque interpretationem probari posse: Nam nihil impedire videtur, quominus hoc loco præpositionem locali et propria notione, quæ aliquid aliqua ex parte proficisci indicat, uti atque e solo verbo ἔρρειν suspendi putemus, quod verbum nonnumquam primario *abeundi* sensu utitur, de qua verbi significatione vide Blomfieldium, Pers. Gloss v. 738.

3) Cfr Weil. Pers. Addend. p. 129.

γ) Alia autem est significatio, qua præpositio aliquem a partibus alicujus stare significat, cujus usus unum invenitur exemplum Sept. 516 *πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἔσμεν, οἱ δ' ἡσσωμένων.*

Adn. Ab ea notione, qua *πρός* cum verbo *εἶναι* conjunctum utitur, deducenda esse videtur significatio, quam præpositio habet ex articulo suspensa. Cujus usus duplex est ratio.

α) Ac primum quidem præpositio ex articulo suspensa ad substantivum refertur. Cujus usus duo exstant exempla inter se paulo discrepantia, e quibus unum invenitur Ag. 728 *ἦθος τὸ πρὸς τοκέων*[1]), ubi *πρὸς* de indole a patre heriditate accepta dicitur. Alterum vero exemplum invenitur Suppl. 396 *κρίνε σέβας τὸ πρός θεῶν*, quod Paley vertit »*prefer that which is righteous in the sight of the gods*«, quum *σέβας* passiva vi uti putandum est ita, ut *σέβας* latine interpretemur *quod venerandum est.* Kruse autem *σέβας* transitiva vi uti existimans interpretatur »*elige reverentiam erga Deos*«. Utra vero interpretatio melior sit, equidem non audeo dijudicare.

β) Deinde præpositio ex articulo suspensa sine substantivo dicitur ita, ut *τὸ πρός τινος* interpretemur aut *quod alicujus rebus favet* aut *quod ad ejus res spectat*, cujus usus unum exstat exemplum Suppl. 531 *τὸ πρὸς γυναικῶν ἐπιδών*, quod Weil Paleio assentiente interpretatur »*aspiciens feminarum jus*, id quod a feminarum parte stat«, quæ interpretatio a nostra non multum abesse videtur.

ΕΠΙ.

De forma. In anastrophe retracto accentu in fine trimetri bis legitur *ἔπι* Pers. 449 *ποντίας ἀκτῆς ἔπι.* Suppl. 1003 *χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι.* Semel autem *ἔπι* pro *ἔπεστι* legitur Eum. 393 *ἔπι δέ μοι γέρας παλαιόν.* — In tmesi *ἐπί* tribus locis invenitur Pers. 669 *Στυγία γάρ τις ἐπ' ἀχλὺς πεπόταται* Choeph. 395 *καὶ πότ' ἂν ἀμφιθαλὴς Ζεὺς ἐπὶ χεῖρα βάλοι,* Eum. 378 *τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται.*

De *significatione.*

I. *Ἐπί* cum accusativo conjunctum

A) locali notione e verbis *motum* significantibus suspensum triplici ratione usurpatur.

a) Una est notio, quæ indicat, quem locum versus aliquid promoveatur aut quem ad locum promotum sit, quum *ἐπί* germanice interpretamur *nach, zu.* Eadem fere utens notione præpositio etiam cum genetivo conjungitur. Quid inter utramque constructionem intersit, bene docet Kühner, quum dicit: Der Unterschied zwischen *πλεῖν ἐπὶ Σάμου* u.

---

1) Quam emendationom Conington fecit, a Weilio (Eum Addend. p. 133) laudatam.

ἐπὶ Σάμον is der, dass Letzteres bloss die Richtung nach einem Orte, Ersteres den Begriff des Erreichens oder Erreichen-wollens involvirt.

Ex. E verbis *veniendi ἐπί* suspenditur Prom. 117 *ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον* Sept. 211 *ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρχαῖα βρέτη.* Pers. 493 *Μαγνητικὴν δὲ γαῖαν — ἀφικόμεσθ', ἐπ' Ἀξίου πόρον.* ibid. 511 *ἥκουσιν ἐκφυγόντες — ἐφ' ἑστιοῦχον γαῖαν.* Ag. 292 *φῶς ἐπ' Εὐρίπου ῥοὰς — μολόν.* ibid. 303 *ὄρος τ' ἐπ' Αἰγίπλαγκτον ἐξικούμενον.* Choeph. 561 *ἥξω σὺν ἀνδρὶ τῷδ' ἐφ' ἑρκείους πύλας* ibid. 1038 *οὐδ' ἐφ' ἑστίαν ἄλλην τραπέσθαι.* Suppl. 311 *Κάνωβον κἀπὶ Μέμφιν ἵκετο.* ibid 836 *σοῦσθ' ἐπὶ βᾶριν.* ibid. 842 *σοῦσθ' — ἐπ' ἄμαλα.* ibid. 847 (loco corrupto). E verbo *κέλλειν* præpositio bis suspenditur Ag. 697 *κελσάντων Σιμόεντος ἀκτὰς ἐπ' ἀεξιφύλλους.* Eum. 10 *κέλσας δ' ἐπ' ἀκτὰς ναυπόρους.* In omnibus exemplis, quæ modo commemoravi, præpositio *ἐπί* semper de *locis* usurpatur. Tribus vero in exemplis de partibus corporis dicitur. Ag. 792 *δῆγμα δὲ λύπης οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται.* ibid. 1121 *ἐπὶ δὲ καρδίαν ἔδραμε κροκοβαφὴς σταγών,* ubi de sanguine dicitur, qui ex opinione vulgari in terrore ad cor recurrit. Fragm. 337 *ὅτι νῦν ἦλθ' ἐπὶ στόμα.* Uno autem loco de *persona* usurpatur Choeph. 764 *στείχω δ' ἐπ' ἄνδρα τῶνδε λυμαντήριον οἴκων.*

Adn. 1. Qua significatione præpositio *ἐπί* etiam ad hostile consilium indicandum usurpatur, quum *ἐπί* interpretamur *adversus.* Ac primum quidem de *rebus* dicitur, in quas impetus fit, ut Pers. 411 *ἐπ' ἄλλην δ' ἄλλος ἴθυνεν δόρυ.* Sept. 90 *λεὼς ὄρνυται ἐπὶ πόλιν διώκων.* Ag. 112 *ξύμφρονε ταγὼ πέμπει — θούριος ὄρνις Τευκρίδ' ἐπ' αἶαν.* Pers. 270 *τὰ πολλὰ βέλεα παμμιγῆ — ἦλθ' ἐπ' αἶαν.* ibid. 758 *τήνδ' ἐβούλευσεν κέλευθον καὶ στράτευμ' ἐφ' Ἑλλάδα,* ubi præpositio accusativo apposita non ad verbum, sed ad substantiva (*κέλευθον καὶ στράτευμα*) refertur. Deinde de *hominibus* usurpatur, ut Prom. 864 *τοιάδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι Κύπρις*[1]).

Adn. 2. Præpositionem *ἐπί* in re militari de ratione exercitus ducendi usurpari nemo ignorat, cujus usus sunt exempla qualia *ἐπὶ δεξιά,* (i. e. *dextrorsus*) *ἐπ' ἀριστερά* (i. e. *sinistrorsus*) similia, quæ locutiones cum verbis et *movendi* et *quiescendi* conjunguntur. A quo usu eum profectum esse credo, quo præpositio sine verbo dicta cum neutris pronominum conjungitur. Cujus usus exemplum est *ἐπέκεινα* (i. e. *ἐπ' ἐκεῖνα*), quod vertimus *ultra,* quæ locutio ex articulo pendens invenitur Suppl. 257 *Πίνδου τε τἀπέκεινα.* Ut vero *ἐπέκεινα* interpretamur *ultra,* ita *ἐπὶ τάδε* valet *citra,* quæ locutio et ipsa ex articulo pendens invenitur ibid. 259 *τῶνδε τἀπὶ τάδε κρατῶ,* quod vertimus *quæ citra hos fines sita sunt, imperio teneo*[2]). Hermann confert Isocr. Paneg. 118, Areopag. 80, Panathen. 59 Lucian. Char. c. 5 itemque Paley citat Plat. Phæd. 140, Aristot. Hist. An.

---

1) Si vulgata scriptura retinetur, huc est referendum Sept. 282; tamen aliter et Weil et Dindorf.
2) Ita Herman, Paley, Kruse; aliter Weil, qui interpretatur »*et hæc quidem in hac parte teneo*«.

8, 28, ubi eodem modo præpositio cum neutro pronominis (*τάδε*) conjuncta ex articulo pendet.

b) Alia est notio, quum præpositionem *ἐπί* germanice interpretamur *auf*, quam significationem Seiler[1]) interpretatur die Bewegung nach einer Stüts-punkte. Cujus usus duplex est ratio. Ac primum quidem præpositio ita usurpatur, ut aliquid ex superiore loco in inferiorem moveri indicet, quum *ἐπί* germanice interpretamur *auf — herab*, ut Ag. 1019 *τὸ δ' ἐπὶ γᾶν ἅπαξ πεσὸν — μέλαν αἷμα.* Eandem significationem, sed eam tralaticiam, habet præpositio Eum. 830 *μὴ 'κβάλῃς ἐπὶ χθόνα καρπόν*, ubi de imprecationibus in terram projectis dicitur. Pers 930 *'Ασία δὲ χθὼν — ἐπὶ γόνυ κέκλιται*, ubi metaphora e palæstra est deprompta, quum proprie de iis dicitur, qui luctantes in genu procumbunt. Deinde *ἐπί* ita usurpatur, ut aliquid ex inferiore loco in superiorem moveri indicet, quum *ἐπί* germanice interpretamur *auf — herauf*, ut Pers. 651 *ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου.* Nonnumquam fit, ut non satis dijudicari possit, utra ex iis, quas modo nominavi, notionibus præpositio utatur, sed ita dicatur, ut simpliciter indicet et universe aliquid ex aliquo loco in alium transportari, ut Suppl. 482 *βωμοὺς ἐπ' ἄλλους — θές*, quod Kruse vertit »die Zweige sammle und leg' sie auf — andern Herd».

c) Alia est notio, quum præpositio de *spatio*, per quod aliquid pertinet, ita dicitur, ut aliquid aliquo versus directum late extendi et patescere significet, quum *ἐπί* germanice interpretamur *über — hin.* Notissima sunt Homerica exempla, ut *πλέειν, φεύγειν ἐπὶ πόντον.* Cujus usus unum exstat exemplum Pers. 74 *ἐπὶ πᾶσαν χθόνα ποιμανόριον θεῖον ἐλαύνει.* (Ita Pape et Berg).

B. Translatis e significationibus, quæ apud alios scriptores multæ reperiuntur, apud Aeshylum una tantum invenitur, quum præpositio de consilio, quo quid suscipitur, dicta *finalem* vim habet, qua aliquem ad rem aliquam perficiendam aggredi significat. Cujus usus tria sunt exempla Sept. 861 *ἥκουσ' αἴδ' ἐπὶ πρᾶγος πικρόν.* Ag. 1535 *δίκην δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης — Μοῖρα.* Eragm. 131 *τί ποτ' οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν.*

II. *'Επί* cum dativo conjunctum

A) locali notione

a) ita usurpatur, ut aliquid juxta aliquem locum esse et commorari indicet, quum *ἐπί* interpretamur *ad, apud, juxta, prope.*

Ex. Ac primum quidem *ἐπί* cum verbis *manendi* et *sedendi* conjungitur ut Sept. 33 *καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις μίμνοντες εὐθαρσεῖτε* Eum 40 *ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφάλῳ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ ἕδραν ἔχοντα.* ibid. 806 *λιπαροθρόνοισιν ἡμένας ἐπ' ἐσχάραις.* Deinde præpositio etiam aliis cum verbis conjungitur, sed semper ita usurpatur, ut aliquid juxta aliquem locum fieri indicet, ut Sept. 422 *Καπανεὺς δ' ἐπ' 'Ηλέκτραισι εἴληχεν πύλαις.* ibid. 58

1) Seiler: Griechisch-Deutsches Wörterbuch über die Gedichte des Homeros u. der Homeriden Leipzig, 1863, pag. 182.

ἄνδρας ἐκκρίτους πόλεως πυλῶν ἐπ᾽ ἐξόδοισι τάγευσαι τάχος, ubi verbum ταγεύομαι interpretandum esse videtur κελεύω ταγοὺς εἶναι. Pers 964 Τυρίας ἐκ ναὸς ἔρροντας ἐπ᾽ ἀκταῖς Σαλαμινιάσι. Choeph. 4 τύμβου δ᾽ ἐπ᾽ ὄχθῳ τῷδε κηρύσσω. Eum 633 κἀπὶ τέρματι φᾶρος παρεσκήνωσεν, ubi κἀπὶ τέρματι Paley interpretatur »even over the lower end of the bath« so as to entangle his feet as well as his hands[1]). Fragm. 66 ἐπὶ δυσμαῖσι τεοῦ πατρός. Tum præpositio non ad verbum, sed ad substantivum refertur Prom. 730 ἰσθμὸν δ᾽ ἐπ᾽ αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις Κιμμερικὸν ἥξεις, ubi præpositio dativo apposita inter substantivum (ἰσθμόν) et adjectivum (Κιμμερικόν) inseritur. Sept. 631 τὸν ἕβδομον δὴ τόνδ᾽ ἐφ᾽ ἑβδόμαις πύλαις λέξω.

b) Alia est notio, ubi præpositio indicat, in quo quid sit, quum ἐπί germanice interpretamur *auf*. Cujus usus duplex est ratio.

α) Una est significatio, qua præpositio e verbis *quietem* indicantibus suspensa aliquid in aliqua re tamquam in fundamento nitens quiescere et commorari significat.

Ex. Ac primum quidem cum verbis *quiescendi* conjungitur, ut Prom. 709 οἳ πλεκτὰς στέγας — ναίουσι ἐπ᾽ εὐκύκλοις ὄχοις. Choeph. 723 ἣ νῦν ἐπὶ ναυάρχῳ σώματι κεῖται. Fragm. 307 ἀλλ᾽ ἔστι κἀμοὶ κλῆς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ. Aliud proverbium ejusdem fere significationis legitur Ag. 36 βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν, ubi Paley docet »this proverb was used of those on whom compulsory and unwilling silence was imposed.» Deinde etiam ex aliis verbis suspenditur præpositio, sed ita usurpatur, ut aliquid in aliquo loco fieri indicet, ut Eum. 108 δεῖπν᾽ ἐπ᾽ ἐσχάρᾳ πυρὸς ἔθυον. Ag. 75 ἰσχὺν ἰσόπαιδα νέμοντες ἐπὶ σκήπτροις, ubi interpretandi causa Nägelsbach participium ἐρειδόμενοι subaudiri docet. Tum præpositio dativo apposita sine verbo dicta ex articulo suspenditur Ag. 1618 κρατούντων τῶν ἐπὶ ζυγῷ δορός.

β) E verbis *movendi* suspensa atque prægnantem, quam vocant, significationem habens præpositio cum dativo ita conjungitur, ut aliquid aliquo versus promotum ibi morari et manere indicet, in qua dicendi ratione breviloquentia quædam inest, cum motus atque consecutio motus una eademque enuntiatione comprehendatur.

Ex. Ac primum quidem cum verbis *cadendi* vel tale quid significantibus conjunctum ἐπί aliquid e susperiore loco in inferiorem moveri indicat, ut Sept. 403 εἰ γὰρ θανόντι νὺξ ἐπ᾽ ὀφθαλμοῖς πέσοι. Pers. 506 πῖπτον δ᾽ ἐπ᾽ ἀλλήλοισιν. Suppl. 90 πίπτει δ᾽ ἀσφαλὲς οὐ δ᾽ ἐπὶ νώτῳ, quos versus Weil interpretatur »*Si quid Jovis nutu confirmatum est, id cadit tute et firmiter*, neque supinum i. e. aliquantisper impediri potest, vinci nequit», idemque docet translationem a palæstra desumptam esse. Deinde verbis *jaciendi* adjuncta præpositio aliquid ex inferiore loco in superiorem moveri significat, ut Ag. 357 ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες στέγανον δίκτυον. Nonnumquam vero non satis apparet, utra

1) Tamen aliter Passow, qui ἐπὶ τέρματι adverbialem vim habere statuens interpretatur *am Ende, zuletzt*.

ex iis, quas modo nominavi, notionibus præpositio utatur, sed ita ἐπί dicitur, ut aliquid ex aliquo loco in alium moveri indicet, ut Sept. 32 κἀπὶ σέλμασι πύργων στάθητε. Suppl. 1003 παρθένων χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι πᾶς τις — τόξευμ' ἔπεμψεν.

Adn. 1. Ex ea significatione, quæ in exemplo supra citato (Pers. 506) invenitur, is usus derivandus esse videtur, quum substantivum eodem substantivo cum ἐπί repetito legitur, quæ dicendi ratio cumulum rerum coacervatarum indicat, ut Fragm. 32 ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα καὶ νεκρῷ νεκρός, ἵπποι δ' ἐφ' ἵπποις ἦσαν ἐμπεφυρμένοι[1]), itemque de Furia, quæ perniciem ad perniciem adducit, præpositio dicitur Choeph. 402 sq. Ἐρινὺν — ἄτην ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ, quod Franz interpretatur »die (Erinnys) von früher Gefallenen stets Unheil erneut zuführet zum Unheil«, ubi poeta sententiam plene atque copiose expressisse videtur non solum eodem substantivo repetito, sed etiam præpositione bis usurpata, quum ἐπί et cum verbo compositum et cum casu dativo conjunctum legitur.

Adn. 2. Præpositionem ἐπί cum accusativo e verbis movendi suspensam locali et primaria significatione motum aliquo versus directum (germ. *nach*, *zu*) indicare jam supra commemoravi; num autem ea significatio præpositioni cum dativo conjunctæ sit accensenda, paucis dicam. Quam notionem, quamvis rara sit atque inusitata, tamen inde ab Homero interdum esse adhibitam quum alii tum Passow docet, qui dicit »Seltener wird ἐπί mit d. dat. auch gebraucht, wo bloss die räumliche Richtung angegeben werden soll, ohne die Nebenidée des Verweilens«. Cujus notionis exempla Homerica hæc inveni Il. 5, 327 νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐλαυνέμεν, ibid. 11, 274, ibid. 22, 392. Itaque quum præpositionem apud Homerum ita usurpatam nemo facile negaverit, non est mirandum, quod Aeschylus, epicæ dictionis tenacissimus, hunc usum servavit; cujus usus duo exstant exempla Sept. 714 μὴ 'λθῃς ὁδοὺς σὺ τάσδ' ἐφ' ἑβδόμαις πύλαις ibid. 1059 προπέμπειν ἐπὶ τύμβῳ. Quæ quum ita sint, non satis causæ fuisse videtur, cur Paley τύμβῳ in τύμβον mutaret.

c) Postremo e verbis *jaciendi*, *mittendi* aliisque motum indicantibus suspensa præpositio prægnanter etiam de *hominibus* ita usurpatur, ut de iis dicatur, *contra* vel *adversus* quos aliquid jacitur vel mittitur. Qua significatione ἐπί localem et primariam vim servare atque retinere est putandum, quum homines quasi locum esse, in quem aliquid jaciatur, cogitare possimus.

Ex. Ac primum quidem cum verbis *jaciendi* conjungitur Prom 1043 ἐπ' ἐμοὶ ῥιπτέσθω μὲν πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος. Sept. 298 τοὶ δ' ἐπ' ἀμφιβόλοισιν ἰάπτουσι πολίταις χερμάδ' ὀκριόεσσαν. ibid. 544 ὡς πλεῖστ' ἐπ' ἀνδρὶ τῷδ' ἰάπτεσθαι βέλη. Verbo autem *mittendi* additur Ag. 61 Ἀτρέως παῖδας ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει — Ζεύς. Deinde

1) Præpositio ἐπί eodem in versu et cum genetivo et cum dativo conjungitur, ex quo apparet, quam similes sint quamque inter se cohæreant illæ constructiones.

e verbo *eundi* vel *veniendi* suspenditur Prom. 1089 *τοιάδ' ἐπ' ἐμοὶ ῥιπὴ — στείχει*. Pers. 436 *τοιάδ' ἐπ' αὐτοῖς ἦλθε συμφορὰ πάθους*[1]). Tum verbis *collocandi* adjungitur Sept. 447 *ἀνὴρ δ' ἐπ' αὐτῷ — τέτακται*. ibid. 620 *ἐπ' αὐτῷ φῶτα — ἀντιτάξομεν*. Postremo e verbo *tendendi* suspenditur Ag. 363 *ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ τείνοντα πάλαι τόξον*. A qua notione transitus facilis est ad translatam, quam mox infra commemorabo.

B. Translatæ significationes.

a) Una est tralatio, qua e verbis *inveniendi*, *excogitandi*, similibus suspensa atque de *hominibus* dicta præpositio ad hostile consilium indicandum usurpatur, quum *ἐπί* interpretamur *contra, adversus*. Quæ notio idem fere significat atque ea, de qua supra dixi, sed translate dicitur præpositio, quum cum verbis, quæ ad animum spectant, conjungatur.

Ex. Cum verbo *inveniendi* conjungitur Prom. 97 *τοιόνδ' ὁ νέος ταγὸς μακάρων ἐξηῦρ' ἐπ' ἐμοὶ δεσμόν*. Choeph. 991 *ἐπ' ἀνδρὶ τοῦτ' ἐμήσατο στύγος*. Deinde verbo *παρασκευάζεσθαι* additur Prom. 929 *τοῖον παλαιστὴν νῦν παρασκευάζεται ἐπ' αὐτὸς αὐτῷ*, quod exemplum viam præmunire videtur ad eam notionem, quum *ἐπί* iis in exemplis usurpatur, in quibus præpositione omissa dativus solus poni poterat, de quo usu infra dicetur. Tum ex adjectivo suspenditur Pers. 942 *δαίμων γὰρ ὅδ' αὖ μετάτροπος ἐπ' ἐμοί*· Porstremo cum substantivo conjungitur Choeph. 627 *γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ, ἐπ' ἀνδρὶ δάοισιν ἐγκότῳ σέβας*.

b) Alia est tralatio, qua e verbis *dicendi* aliisve idem fere significantibus suspensa atque de hominibus dicta præpositio indicat, de quibus quid dicatur, quum *ἐπί* interpretamur *de*, *super*, *quod attinet ad*.

Ex. Cum verbo *dicendi* conjungitur Sept. 923 *πάρεστι δ' εἰπεῖν ἐπ' ἀθλίοισιν*. E verbo autem *jactationem* indicante suspenditur Sept. 480 *κόμπαζ' ἐπ' ἄλλῳ*. Ag. 1400 *τοιόνδ' ἐπ' ἀνδρὶ κομπάζεις λόγον*. Deinde de lamentationibus de mortuo editis dicitur Ag. 1547 *ἐπιτύμβιον αἶνον ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ σὺν δάκρυσιν ἰάπτων*[2]). Tum verbo omisso e substantivo suspenditur Eum. 329, 341 *ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ τόδε μέλος*, ubi scholiasta *ἐπί τῷ τεθυμένῳ* recte interpretatur *ἐπὶ Ὀρέστῃ μέλλοντι θύεσθαι*, quem locum vertimus *super devoto malefico hoc carmen canitur*. Quæ notio duplici ratione variari potest. Primum enim præpositio in locutionibus usurpatur, quibus aliquid hostiliter adversus aliquem dictum indicatur, ut Sept. 483 *ὑπέραυχα βάζουσι ἐπὶ πτόλει*, quæ significatio vicina est ei, de qua supra est dictum[3]). Tum præpositio in locutionibus invenitur, quibus aliquid erga aliquem amice et benevole dictum significatur, ut Suppl. 625 *λέξωμεν ἐπ' Ἀργείοις*

---

1) Ita cod. M. et plerique libri; Weil, itemque Dindorf, legit *ἐπ' αὐτούς* collato loco Prom. 864, de quo supra dixi.

2) Conjecturam Stanleeii (*ἐπιτύμβιον αἶνον*) accipiendam censet Dindorf.

3) Eam notionem *(adversus)* accensendam esse Ahrens putat etiam loco Eum 329.

εὐχὰς ἀγαθάς. Choeph. 720 *πότε δὴ στομάτων δείξομεν ἰσχὺν ἐπ᾿ Ὀρέστῃ*, ubi *ἐπ᾿ Ὀρέστῃ* Ahrens interpretatur »*pro salute Orestis*».

Adn. Omnibus in exemplis, quæ supra (A, c; B, a, b) sunt allata, *ἐπί* cum dativo *personæ* conjungitur excepto uno loco Sept. 483. Præpositio quum de hominibus dicitur, interdum e dativo suspenditur nonnullis in exemplis, ubi omissa præpositione solus dativus poni poterat. Cujus usus duo exstant exempla Suppl. 978 *ὡς ἐφ᾿ ἑκάστῃ διεκλήρωσεν Δαναὸς θεραποντίδα φερνήν.* Eum. 434 *ἦ κἀπ᾿ ἐμοὶ τρέποιτ᾿ ἂν αἰτίας τέλος*, quod Ahrens vertit »*num etiam causæ diremptionem mihi committatis*»; quod in prosa oratione notissima constructione *ἐπιτρέπειν τί τινι* exprimitur. Exemplum vero ejusdem generis invenies Soph. Ant. 1107 *δρᾶ νυν τάδ᾿ ἐλθὼν μηδ᾿ ἐπ᾿ ἄλλοισιν τρέπε.*

c) Alia est tralatio, ubi præpositio causalem vim habens indicat, unde aliquid proficiscatur vel qua de causa aliquid fiat, quum *ἐπί* interpretamur *propter, ob.*

Ex. Ac primum quidem præpositio e verbis *affectuum* suspenditur, quæ aut cum præpositione *ἐπί* sequente dativo aut omissa præpositione cum solo dativo conjungi notisssimum est. Exemplum vero utriusque constructionis præbet verbum *δυσφορεῖν*, quod cum solo dativo conjungitur Suppl. 513 *οὔτοι τι θαῦμα δυσφορεῖν φόβῳ φρενός;* cum præpositione *ἐπί* autem sequente dativo conjungitur Sept. 780 *ἐπ᾿ ἄλγει δυσφορῶν.* E verbo *γελᾶν* suspensum *ἐπί* invenitur Eum. 560 *γελᾷ δέ δαίμων ἐπ᾿ ἀνδρὶ θερμῷ.* Eadem vero est significatio, quum præpositio e substantivo *γέλως* suspenditur, quæ constructio minus usitata invenitur Choeph. 739 *γέλων κεύθουσ᾿ ἐπ᾿ ἔργοις διαπεπραγμένοις*[1]). Deinde etiam aliis verbis *ἐπί* additum ad causam exprimendam usurpatur, qualia sunt exempla: Prom 194 *ποίῳ λαβών τε Ζεὺς ἐπ᾿ αἰτιάματι οὕτως αἰκίζεται*, ubi *ἐπ᾿ αἰτίαματι* Blomfield interpretatur »*ob culpam*». ibid. 255 *τοιοῖσδε δή σε Ζεὺς ἐπ᾿ αἰτιάμασι αἰκίζεται.* Pers. 1030 *πέπλον δ᾿ ἐπέρρηξ᾿ ἐπὶ συμφορᾷ κακοῦ.* Sept. 1007 *Ἐτεοκλέα μὲν τόνδ᾿ ἐπ᾿ εὐνοίᾳ χθονὸς θάπτειν ἔδοξε*, ubi *ἐπ᾿ εὐνοίᾳ χθονὸς* Ahrens, itemque Paley, interpretater »*propter ejus in patriam benevolentiam*»[2]). Choeph. 863 *πῦρ καὶ φῶς ἐπ᾿ ἐλευθερίᾳ δαίων*, quod Ahrens vertit »*ignem et lucem ob libertatem recuperatam incendens*». Suppl. 7 *οὔτιν᾿ ἐφ᾿ αἵματι δημηλασίαν — γνωσθεῖσαι*, quod Hermann interpretatur »*quibus nullum ob cædem exsilium decretum est*». ibid. 591 *τίν᾿ ἂν θεῶν ἐνδικωτέροισι κεκλοίμαν — ἐπ᾿ ἔργοις*, ubi *ἐνδικωτέροισι ἐπ᾿ ἔργοις* Ahrens vertit »*justioribus de causis*». ibid. 1038 *τίεται δ᾿ αἰολόμητις θεὸς ἔργοις ἐπὶ σεμνοῖς.* Eis in exemplis, quæ supra sunt allata, præpositio ubique de *rebus* vel substantivis abstractis dicitur excepto uno loco Eum. 560, ubi cum dativo *personæ* conjungitur.

---

1) Klausen hoc loco *ἐπί* interpretatur *post*, de qua notione infra dicetur.

2) Paley aliam quoque affert interpretationem (»*whit the good will of the land*»), quæ et ipsa est probanda. Si vero eam accipiendam censes, præpositio ea uti notione est putanda, qua indicat, quo rerum statu vel qua condicione aliquid fiat. Quæ notio, quamquam apud ceteros scriptores non raro invenitur, tamen apud Aeschylum nisi hoc loco numquam usurpatur. Nam exempla ejus notionis, quæ Wellauer affert, aliter interpretanda censeo.

d) Ab illa notione non multum abest ea tralatio, quum præpositio finalem vim habens indicat, *quo consilio* aliquid fiat.

Ex. Pers. 297 ἐπὶ σκηπτουχίᾳ ταχθείς, quod vertimus *ad imperium tenendum constitutus.* Choeph. 9 οὐδ' ἐξέτεινα χεῖρ' ἐπ' ἐκφορᾷ νεκροῦ, quod Ahrens interpretatur *»neque extendi manum ad efferendum corpus tuum«.* Ag. 1022 sq. τὸν ὀρθοδαῆ — Ζεὺς ἀπέπαυσεν ἐπ' εὐλαβείᾳ, ubi Meineke, itemque Wecklein[1]), ἐπ' εὐλαβείᾳ interpretatur »Zur Warnung, zum warnenden Beispiel, um ein Exempel zu statuiren, zur Darnachachtung«. Tribus vero locis ἐπὶ νίκῃ legitur Eum. 1009 τὸ δὲ κερδαλέον πέμπειν πόλεως ἐπὶ νίκῃ. Choeph. 868 εἴη δ' ἐπὶ νίκῃ, ibid. 478 πέμπετ' ἀρωγὴν παισὶν προφρόνως ἐπὶ νίκῃ.

Adn. Interdum præpositio non tam consilium, quo aliquid geritur, quam id, quod alicunde consequitur, significans ita usurpatur, ut id, quod præpositione dativo apposita indicatur, idem fere sit atque id, quod enuntiatione consecutiva, quæ vocatur, exprimitur, quæ notio ei, quæ modo allata est, simillima est. Cujus usus unum exstat exemplum Sept. 879 μελέους θανάτους ηὕροντο δόμων ἐπὶ λύμῃ, quod interpretamur *miseras mortes invenerunt ita, ut inde excidium domorum consequeretur.* Exemplum vero ejusdem notionis invenies Soph. Ant. 792 σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ, ubi ἐπὶ λώβᾳ Ellendt græce interpretatur ὥστε λωβητοὺς γίγνεσθαι[2]).

e) Ab ea notione, quam res rebus imponi supra dixi indicare, ea significatio profecta esse videtur, quum præpositio de *actionibus*, quarum alia aliam subsequitur, translate usurpatur. Cujus usus duo exstant exempla Eum. 1043, 1047 ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς, quod Franz vertit *»nun jauchzet und jubelt zum Festlied«.* Choeph. 149 τοιαῖσδ' ἐπ' εὐχαῖς τάσδ' ἐπισπένδω χοάς. Quæ notio ad sequentem quasi viam præmunire videtur.

f) Ex ea vero notione, qua res alia aliam subsequi indicatur, facilis est transitus ad eam significationem, quum ἐπί de *tempore* dictum *post* interpretamur.

Ex. Pers. 527 ὑμᾶς δὲ χρὴ 'πὶ τοῖσδε τοῖς πεπραγμένοις — ξυμφέρειν βουλεύματα. Bis vero ἐπ' ἐξειργασμένοις legitur, quod interpretamur *rebus transactis* Pers. 525, Ag. 1379. Huc referendum esse videtur etiam Fragm. 22, b ἐπ' ἔργοις[3]). Restat vero Ag. 255 πέλοιτο δ' οὖν τἀπὶ τούτοισιν εὔπραξις, quod vertimus *eveniat autem in posterum felicitas*, ubi animadvertas præpositionem dativo appositam e neutro articuli plurali numero dicti pendere. Exempla vero ejusdem notionis invenies Eur. Iph. Aul. 435, Ion. 256, quæ Klausen citat; idem citat etiam Orest. 1452, quod exemplum non eundem præbet usum, quum præpositio dativo apposita e neutro articuli singulari numero dicti pendet.

---

1) N. Wecklein: Studien zu Aeschylus, Berlin 1872, pag. 89. Tamen alia est hujus loci interpretatio, neque ea contemnenda, de qua infra dicetur.

2) Ellendt: Lexicon Sophocleum, Berol. MDCCCLXXII pag. 260.

3) Ag. 1605 legitur ἐπὶ δίκ', sed quum locus corruptus sit, de eo nihil affirmare audeo.

g) Postremo præpositio ita usurpatur, ut aliquid rei cuidam convenienter fieri significet, quum *ἐπί* interpretamur *secundum*. Cujus usus unum exstat exemplum Suppl. 628 **Ζεὺς δ' ἐφορεύοι ξένιος ξενίου στόματος τιμὰς ἐπ' ἀληθείᾳ**, ubi Ahrens *ἐπ' ἀληθείᾳ* interpretatur »*ex vera animi sententia*». Quo in exemplo quoniam præpositio cum substantivo abstracto conjungitur, non multum abesse videtur, quin id, quod præpositione dativo apposita significetur, etiam adverbio quodam exprimi possit ita, ut *ἐπ' ἀληθείᾳ* pæne idem sit atque *ἀληθῶς*, id quod vidit scholiasta, quum *ἐπ' ἀληθείᾳ* græce interpretatus est *βεβαίως*. Si autem hæc recte sunt dicta, nescio an ea notio sit statuenda etiam Ag. 1022 sq. **τὸν ὀρθοδαῆ — Ζεὺς ἀπέπαυσεν ἐπ' εὐλαβείᾳ**, ubi *ἐπ' εὐλαβείᾳ* adverbii instar svethice interpretari possumus *försigtigtvis* [1]).

III. *'Επί* cum genetivo conjunctum

translate apud Aeschylum numquam usurpatur, semper *locali* notione utitur.

a) Ac primum quidem *ἐπί* locum indicat, in quo aliquid est, quam significationem Kühner germanice interpretatur »ein ruhiges Verweilen auf einem Raume oder Gegenstande». Qua notione præpositio cum verbis et quiescendi et movendi conjungitur.

α) E verbis *quiescendi* suspensa præpositio aliquid in aliqua re quiescere et commorari significat, quum *ἐπί* germanice interpretamur *auf*.

Ex. Ac primum quidem *ἐπί* suspenditur e verbis, quæ sunt *εἶναι*, *κυρεῖν*, ut Sept. 400 **νύκτα — ἣν λέγεις ἐπ' ἀσπίδος — κυρεῖν**. ibid. 520 **Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών**. Verbis autem *sedendi* et *standi* adjungitur præpositio Sept. 512 **Ζεὺς πατὴρ ἐπ' ἀσπίδος — ἧσται**. Ag. 1472 sq. **ἐπὶ δὲ σώματος — σταθεῖσα** [2]). Deinde aliis quoque verbis *ἐπί* additur, quibus aliquid in aliqua re versari indicatur, ut Sept. 387 **ἔχει δ' ὑπέρφρον σῆμ' ἐπ' ἀσπίδος τόδε**. ibid. 559 **ἐχθίστου δάκους εἰκὼ φέροντα πολεμίας ἐπ' ἀσπίδος**. Ag. 1435 **ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ' ἑστίας ἐμῆς Αἴγισθος**. Ex adverbio *πέλας* pendet præpositio Choeph. 883 **ἔοικε νῦν αὐτῆς ἐπὶ ξυροῦ πέλας αὐχὴν πεσεῖσθαι**, ubi *ἐπὶ ξυροῦ πέλας* jungendum est, quod Weil interpretatur »*in extremo periculo, ut prope ab eo absit*» [3]). **'Επὶ ξυροῦ εἶναι** vel *ἵστασθαι* vel *βεβάναι* notum proverbium esse atque de iis dici, qui in extremo discrimine versentur, docet Blomfield, qui citat Hom. Il. 10, 173, Theogn. 557, Soph. Ant. 996, Theocrit. XXII, 6. Tum *ἐπί* sine verbo dictum e substantivo pendet, quum præpositio genetivo apposita vulgo inter adjectivum et substantivum inseritur, ut

---

1) Aliam interpretationem affert Weckleín, de qua supra est dictum.

2) A quo exemplo facilis est transitus ad eam notionem, de qua paulo infra dicetur. Quæ notiones quam arte inter se cohæreant quamque similes sint, ex eo intelligi potest, quod *ἐπί* cum genetivo e certis quibusdam formis verbi *ἱστάναι* pendens, quæ et motum aliquo versus directum et quietem alicubi commorantem indicant, locum et in quo quis consistit et in quo quis stat significat.

3) Paley vero, quamquam *πέλας* cum verbo *πεσεῖσθαι* jungit, eandem fere interpretationem affert, quum *ἐπὶ ξυροῦ* interpretatur »*already on the razor's edge*». Klausen et Ahrens autem *ἐπὶ ξυροῦ* cum verbo *πεσεῖσθαι* non bene jungunt.

Sept. 510 *πολεμίους ἐπ' ἀσπίδων θεούς.* ibid. 661 *γράμματα ἐπ' ἀσπίδος φλύοντα* ibid. 478 *πόλισμ' ἐπ' ἀσπίδος.* Postremo *ἐπί* genetivo adjunctum e neutro articuli plurali numero dicti suspenditur Suppl. 178 *τἀπὶ χέρσου νῦν προμηθίαν λαβών.*

β) E verbis motum indicantibus pendens *ἐπί* aliquem in aliquo loco moveri significat, ut Pers. 18 *ἔβαν οἱ μὲν ἐφ' ἵππων, οἱ δ' ἐπὶ ναῶν,* ibid. 449 *ἣν ὁ φιλόχορος Πὰν ἐμβατεύει ποντίας ἀκτῆς ἔπι.* ibid. 965 *στυφέλου θείνοντας ἐπ' ἀκτᾶς.*

Adn. Ab iis exemplis, quæ supra sunt allata, paulum recedit id, quod invenitur Ag. 1428 *λίπος ἐπ' ὀμμάτων αἵματος ἐμπρέπει,* ubi *ἐπ' ὀμμάτων* Schütz recte interpretatur »*super oculis* i. e. *in fronte*»; facies enim Clytæmnestræ sanguine erat conspersa, ut ipsa v. 1390 gloriatur.

b) Cum verbis motum indicantibus conjuncta præpositio motum aliquo versus directum significat, cujus usus duplex est ratio.

α) Una est notio, qua aliquid e superiore loco in inferiorem moveri indicatur, quum *ἐπί* germanice *auf — herab,* svethice *ned på* interpretamur, ut Pers. 192 *λέπαδν' ἐπ' αὐχένων τίθησι.* Huc referendum esse videtur Suppl. 650 *ὃν τίς ἂν δόμος ἔχει ἐπ' ὀρόφων μιαίνοντα,* ubi *ἐπ' ὀρόφων μιαίνοντα* Paley interpretatur »*making dirt on the roof*»[1]).

Adn. Jam supra dixi substantivum eodem substantivo cum *ἐπί* repetito inveniri ita, ut res rebus imponi dicerentur, in qua dicendi ratione præpositio etiam cum genetivo conjuncta usurpatur, ut Fragm. 32 *ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα.*

β) Altera est notio, qua præpositio aliquem ad locum quendam moveri atque contendere significat, quum *ἐπί* interpretamur *auf — hin, nach — zu.* Quæ notio quamquam apud alios scriptores usitatissima est, tamen apud Aeschylum uno tantum loco invenitur Prom. 658 *κἀπὶ Δωδώνης πυκνοὺς θεοπρόπους ἴαλλεν.* Notissimum vero est præpositionem ea significatione etiam cum accusativo conjungi; quid autem inter utramque constructionem interesset, supra dixi.

ΥΠΟ.

De forma. Præpositio *ὑπό* vocabulo suo postposita sæpe anastrophe afficitur, maxime quum extremum versus locum occupavit. Ita præpositio genetivo postposita novem locis per anastrophen in fine versus collocatur. Semel vero in fine tetrametri legitur Pers. 755; octies autem in fine trimetri usurpatur Sept. 286, ibid. 1024, Pers. 817, Suppl. 238, ibid. 499, ibid. 934, Ag. 541, ibid. 587. Dativo autem postposita præpositio per anastrophen in fine trimetri bis legitur Prom. 365, Pers. 190. Accusativo vero adjuncta

1) Eandem significationem habet præpositio, si conjectura Krusii (*ἰάπτοντα*) probatur.

præpositio anastrophen nusquam patitur excepto uno loco Pers. 624, ubi in versu anapæstico Hermann, itemque Teuffel, legit *θαλάμους ὕπο γῆς*[1]). In tmesi autem *ὑπό* quattuor locis legitur Prom. 574, ibid. 877, Ag. 1215, ibid. 451. Forma epica *ὑπαί*, quæ numquam anastrophe afficitur, semel in tmesi legitur Ag. 944; cum genetivo autem tribus locis conjungitur Ag. 892, Choeph. 615, Eum. 417. Cum dativo vero *ὑπαί* numquam conjungitur nisi uno loco Ag. 1164, ubi tamen scriptura incerta est.

De significatione.

I. *Ὑπό* cum accusativo conjunctum

locali notione semper utitur, numquam vero translate usurpatur.

a) Una vero est significatio, qua præpositio e verbis movendi suspensa motum aliquo versus directum indicat, quum *ὑπό* idem fere significat atque latine *sub*. Cujus usus duplex est ratio.

α) Ac primum quidem præpositio aliquid ex inferiore loco in superiorem moveri significat, quum *ὑπό* svethice *hän under* interpretamur, quam significationem Kühner germanice interpretatur »die Angabe der Richtung nach hochgelegenen Orten, indem man gleichsam unter dieselben zu gehen scheint».

Ex. Ita *ὑπό* de motu ad loca edita directo dicitur Ag. 985 *εὖθ' ὑπ' Ἴλιον ὦρτο ναυβάτας στρατός*, itemque Suppl. 722 *αὐτὴ δ' ἡγεμὼν ὑπὸ χθόνα — ἐρέσσεται*, ubi de nave ad litus appropinquante dicitur. Neque vero multum abest ea præpositionis notio, quum de equis dicitur, qui sub jugum vel currum ducuntur, ut Prom. 465 *ὑφ' ἅρματ' ἤγαγον φιληνίους ἵππους*.

β) Deinde præpositio aliquid e superiore in inferiorem ferri indicat, quum *ὑπό* svethice *ned under* interpretamur.

Ex. Prom. 152 *εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν — ἧκεν*. Eum. 175 *ὑπό τε γᾶν φυγών*. Pers. 624 *πέμπε χοὰς θαλάμους ὑπὸ γῆς*. ibid. 839 *ἄπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον κάτω*.

Adn. Interdum præpositio cum verbis movendi conjuncta de partibus quibusdam corporis usurpatur, ut Eum. 159 *ἔτυψεν — ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν*. ibid. 190 *ὑπὸ ῥάχιν παγέντες*. Semel autem sine verbo dictum *ὑπό* ad substantivum refertur, ut Choeph. 272 *δυσχειμέρους ἄτας ὑφ' ἧπαρ θερμὸν ἐξανδώμενος*. A quo usu non multum abesse videtur ea notio, qua *ὑπό* e verbis movendi suspensum de vestimento quodam usurpatur, sub quo aliquid fertur, ut Choeph. 992 *ἐξ οὗ τέκνων ἤνεγκ' ὑπὸ ζώνην βάρος*.

b) Altera vero est notio, quum præpositio e verbis *quiescendi* suspensa indicat, sub quo loco quis versetur. Qua notione præpositio cum accusativo ita conjungitur, ut

---

1) Dindorf, Weil, Paley hoc loco legunt *θαλάμους ὑπὸ γῆς*, quæ scriptura cur probabilior existimanda sit, duæ causæ afferri possunt, una, quod præpositio hoc loco in fine versus non ponitur, altera, quod præpositio inter accusativum et attributum genetivo expressum inseritur.

accusativus dativi vice poni videatur, qui usus, quamquam etiam apud prosarios nonnumquam invenitur, tamen poeticæ dictionis proprius putandus est. Cujus usus duplex est ratio.

α) Ac primum quidem *ὑπό* de oppido dictum ita usurpatur, ut aliquis sub mœnibus oppidi vel prope oppidum versari indicetur. Cujus notionis unum exstat exemplum Sept. 561 *πυκνοῦ κροτησμοῖ τυγχάνουσ' ὑπὸ πτόλιν.*

β) Deinde *ὑπό* aliquem sub aliquo loco esse et versari indicat, ut Eum. 395 *ὑπὸ χθόνα τάξιν ἔχουσα.*

II. *Ὑπό* cum dativo conjunctum

A) locali usu

a) e verbis *quiescendi* suspensum indicat, sub quo loco quid versetur. Cujus usus duplex est ratio.

α) Una est enim notio, quum *ὑπό* de oppido dictum ita usurpatur, ut aliquem sub mœnibus oppidi vel prope oppidum versari indicet.

Ex. Ac primum quidem *ὑπό* cum verbis quiescendi conjungitur Ag. 860 *ὅσονπερ οὗτος ἦν ὑπ' Ἰλίῳ.* Deinde aliis quoque verbis additur, quibus aliquid aliquo loco fieri universe indicatur, ut Ag. 1457 *πολλὰς ψυχὰς ὀλέσασ' ὑπὸ Τροίᾳ.* Choeph. 345 *εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ — κατηναρίσθης* ibid. 363 *ὑπὸ Τρωΐας τείχεσι φθίμενος.* Postremo præpositio sine verbo dicta ex articulo suspenditur Ag. 882 *τόν θ' ὑπ' Ἰλίῳ σέθεν κίνδυνον* ibid. 1439 *Χρυσηίδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ.*

β) Altera vero est notio, quum præpositio aliquem vel aliquid sub aliquo loco esse et versari indicat.

Ex. Primum quidem *ὑπό* cum verbis quiescendi conjungitur Sept. 950 *ὑπὸ δὲ σώματι γᾶς πλοῦτος ἄβυσσος ἔσται.* Deinde etiam aliis verbis adjungitur, quibus aliquid sub aliquo loco fieri significatur, ut Prom. 365 *ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο.* Sept. 388 *φλέγονθ' ὑπ' ἄστροις οὐρανὸν τετυγμένον.* ibid. 543 *φέρει δ' ὑφ' αὑτῇ φῶτα Καδμείων ἕνα.* Eum. 1036 *γᾶς ὑπὸ κεύθεσιν ὠγυγίοισιν — περίσεπτα τυχοῦσαι.* Postremo præpositio sine verbo dicta de cælo ita usurpatur, ut qui sub cælo est, idem etiamnunc inter vivos esse cogitetur; qui autem sub cœlo sunt, i. e. viventes iis opponuntur, qui sub terra versantur, i. e. mortuis, ut Eum. 373 sq. *δόξαι τ' ἀνδρῶν καὶ μάλ' ὑπ' αἰθέρι σεμναὶ τακόμεναι κατὰ γᾶς μινύθουσι ἄτιμοι,* quod Paley interpretatur »the opinions of men, even though very proud under the sky (in the light of life), fall away and dwindle in dishonour beneath the earth«[1]).

Adn. Jam supra dixi præpositionem cum accusativo conjunctam de partibus corporis usurpari. Quem usum servatum reperimus, quum *ὑπό* dativo adjungitur, ut Eum. 1000 *Παλλάδος δ' ὑπὸ πτεροῖς ὄντας ἅζεται πατήρ,* ubi de Atheniensibus dicitur, qui

---

1) Hæc est Hermanni scriptura. Scripturam codicum (*κατὰ γᾶν*) retinendam esse censent Dindorf et Weil, qui hunc locum ita interpretantur, ut Furiæ celsas hominum glorias humi sternere dicantur.

sunt sub Palladis alis i. e. tutela; metaphora autem deprompta est ex avibus pullos alis tegentibus.

b) E verbis *movendi* suspensa atque prægnantem, quæ vocatur, constructionem habens præpositio ita usurpatur, ut aliquid sub quendam locum moveri atque illuc promotum ibi morari significetur. Cujus usus unum exstat exemplum Pers. 190 *ἅρμασιν δ' ὕπο ζεύγνυσιν αὐτώ.* Quem usum etiam apud Homerum inveniri docent duo exempla ejusdem notionis, ubi præpositio ex eodem verbo suspensa item de jumentis currui junctis dicitur, Od. 3, 478 *καρπαλίμως δ' ἔζευξαν ὑφ' ἅρμασιν ὠκέας ἵππους*, Il. 24, 782 *ὑπ' ἀμάξῃσιν βόας ἡμιόνους τε ζεύγνυσαν.* Quo usu præpositionem etiam cum accusativo conjungi jam supra (Prom. 465) dixi.

B) Translatæ significationes.

a) Una est tralatio, quum præpositio indicat, quam ob causam aliquid fiat. Cujus notionis duplex est ratio.

α) Ac primum quidem præpositio causam significat, quæ nobis invitis alicunde extrinsecus incidit. Cujus notionis exemplum invenitur Eum. 520 *ξυμφέρει σωφρονεῖν ὑπὸ στένει*, quod Hermann vertit »*conducit rebus angustis coactum sapere*»; a qua interpretatione non multum abest Paley, qui *ὑπὸ στένει* interpretatur »*through suffering*». Alterum vero exemplum legitur Sept. 821 *πέπωκεν αἷμα γαῖ' ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ.*

β) Deinde præpositio significat, quibus animi affectionibus motus aliquis aliquid faciat, quum *ὑπό præ, propter* interpretamur. Cujus usus duo sunt exempla Eum. 377 *πίπτων δ' οὐκ οἶδεν τόδ' ὑπ' ἄφρονι λύμᾳ.* Choeph. 28 *λακίδες ἔφλαδον ὑπ' ἄλγεσιν*[1]).

b) Alia vero est tralatio, quum præpositio significat, qua ratione aliquid fiat. Cujus notionis exemplum invenitur Ag. 1030 *ὑπὸ σκότῳ βρέμει* (*καρδία*), ubi de mente dicitur, quæ sub tenebris (i. e. ex occulto, tacite) dolore vexatur. — A qua significatione non multum abesse videtur ea notio, qua præpositio indicat, quo duce vel quibus comitantibus aliquid fiat, ut Pers. 56 sq. *τὸ μαχαιροφόρον τ' ἔθνος — ἕπεται δειναῖς βασιλέως ὑπὸ πομπαῖς.* Eum. 1034 *βᾶτε —' ὑπ' εὔφρονι πομπᾷ.*

Adn. Jam apud Homerum præpositionem *ὑπό* cum dativo conjunctam atque e verbis passivis vel vim passivam habentibus suspensam interdum agentis, quem vocant, vice fungi nemo non cognitum habet. Apud Aeschylum autem præpositio numquam ita usurpatur nisi uno loco, ubi *ὑπό* e verbo passivam vim habente (*τελευτᾶν* i. e. mori) suspenditur Sept. 932 *ἐτελεύτασαν ὑπ' ἀλλαλοφόνοις χερσίν.* Quod exemplum cum eo comparandum est, quod invenitur Sept. 805 *ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων*, ubi Menge præpositionem *ἐκ* agentis vice fungi docet[2]). Cetera autem exempla, ubi non-

1) Nonnulli hoc loco præpositionem putant rationem significare, qua quid efficitur, quæ interpretatio et ipsa est probanda. Si ea accipienda est, præpositio eandem notionem habet, de qua mox infra dicetur.

2) pag. 44.

nulli præpositionem *ὑπό* ita usurpari existimant, aliter puto esse interpretanda. Jam supra dixi de loco Prom. 365 *ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο*, ubi præpositio locali significatione uti putanda est. Nonnulli autem præpositionem agentis vice fungi existimant Ag. 892 *λεπταῖς ὑπαὶ κώνωπος ἐξηγειρόμην ῥιπαῖσι θωύσσοντος*, ubi tamen Klausen, itemque Paley, præpositionem *ὑπό* cum genetivo (*κώνωπος*), non cum dativo (*ῥιπαῖσι*) conjungendam esse censet. Restat vero locus Ag. 1164 *πέπληγμαι δ' ὑπαὶ δήγματι φοινίῳ*, ubi tamen scriptura incerta est; Hermann, Weil, Dindorf legunt *δ' ὅπως*.

III. *Ὑπό* cum genetivo conjunctum

A) locali usu duabus notionibus uti notissimum est.

a) Una est notio, qua præpositio cum verbis *movendi* conjuncta aliquem vel aliquid sub quendam locum ita ferri indicat, ut ex eo loco promoveatur, quum *ὑπό* germanice *unter — hervor*, *unter — weg* interpretamur. Cujus usus exemplum apud Aeschylum nullum invenitur.

b) Altera vero est notio, qua præpositio e verbis *quiescendi* suspensa aliquem vel aliquid sub aliquo loco esse et versari indicat.

Ex. Ac primum quidem *ὑπό* cum verbis quiescendi conjungitur Sept. 588 *μάντις κεκευθὼς πολεμίας ὑπὸ χθονός*. Eum. 72 *κακὸν σκότον νέμονται Τάρταρόν θ' ὑπὸ χθονός*. Deinde aliis quoque verbis adjuncta præpositio aliquid sub quodam loco fieri in universum significat Sept. 385 *ὑπ' ἀσπίδος δὲ τῷ χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβον*. Eum. 417 *Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα*. Qua significatione *ὑπό* semel de *vestibus* dicitur Choeph. 81 *δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων*, quod Paley vertit »I weep, concealing my tears under my robes», de quo usu Klausen confert Od. 4, 114 Eur. Suppl. 110. Or. 280. Arist. Ran. 911. Tum præpositio genetivo apposita ad substantivum refertur articulo adjuncto Choeph. 833 *τοῖς θ' ὑπὸ χθονὸς φίλοισιν*.

B) Translatæ significationes.

a) Ab ea locali notione, quæ aliquid sub quodam loco commorari indicat, deducitur ea tralatio, qua præpositio aliquem sub imperio alicujus esse significat. Cujus usus exemplum invenitur Suppl. 595 *ὑπ' ἀρχᾶς δ' οὔτινος θοάζων*, quod interpretamur *sub nullius imperio sedens.*

b) Alia vero est tralatio, quum præpositio e verbis passivis vel passivam vim habentibus suspensa agentis, quem vocant, vice fungitur.

α) De iis igitur exemplis, in quibus *ὑπό* cum verbis passivis conjungitur, pauca sunt dicenda. Ac primum quidem *ὑπό* ita de hominibus vel animalibus dicitur, ut Prom. 306 *οἵαις ὑπ' αὐτοῦ πημοναῖσι κάμπτομαι*. Sept. 7 *Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν*. ibid. 194 *αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἔνδοθεν πορθούμεθα*. ibid. 324 *ὑπ' ἀνδρὸς Ἀχαιοῦ θεόθεν περθομέναν*. Pers. 415 *αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν — παίοντο*. Ag. 1271 *καταγελωμένην μέγα φίλων ὑπ' ἐχθρῶν*, quo loco editores, quamquam pæne omnes *μέγα* pro librorum *μετά* scribendum esse censent, tamen *φίλων ὑπ' ἐχθρῶν* alii

aliter interpretantur; Hermann, itemque Nägelsbach, vertit »*ab amicis inimicis*»; Wecklein[1]) autem interpretatur »*verlacht von freund und feind ohne unterschied*». — Alia autem exempla ejusdem notionis sunt Eum. 95 ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη. ibid. 806 ὑπ' ἀστῶν τῶνδε τιμαλφουμένας. Fragm. 129 τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων — ἁλισκόμεσθα. Quo usu præpositio etiam de iis rebus dicitur, quæ quum in iis aliquid humanum inesse existimari possit, quasi homines cogitari possunt. Ita vero præpositio de fatidicis quercubus Dodonæ usurpatur Prom. 833 ὑφ' ὧν σὺ λαμπρῶς — προσηγορεύθης; de sanguine autem a terra hausto dicitur Choeph. 66 δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ. De avibus autem ὑπό usurpatur Sept. 1020 πετηνῶν τόνδ' ὑπ' οἰωνῶν δοκεῖ ταφέντ' ἀτίμως τοὐπιτίμιον λαβεῖν.

Deinde præpositio ita de substantivis abstractis usurpatur tribus locis Prom. 170 τὸ νέον βούλευμ' ὑφ' ὅτου σκῆπτρον τιμάς τ' ἀποσυλᾶται[2]). ibid. 1079 εἰς ἀπέραντον δίκτυον ἄτης ἐμπλεχθήσεσθ' ὑπ' ἀνοίας. Choeph. 194 σαίνομαι δ' ὑπ' ἐλπίδος.

β) Jam vero de iis exemplis, in quibus ὑπό verbis vel locutionibus passivam vim habentibus adjungitur, pauca dicam. Ac primum quidem præpositio ita de *persona* dicitur Ag. 474 ἁλοὺς ὑπ' ἄλλων. Prom. 1042 πάσχειν δὲ κακῶς ἐχθρὸν ὑπ' ἐχθρῶν. Eum. 99 ἔχω μεγίστην αἰτίαν κείνων ὕπο, quod Ahrens interpretatur »*maximo crimine ab illis premor*». Deinde ὑπό ita semel de substantivo abstracto usurpatur Sept. 585 σῆς ὑπὸ σπουδῆς δορὶ ἁλοῦσα.

Adn. 1. A quo usu non multum abesse videtur ea significatio, qua ὑπό cum verbis transitivis conjunctum atque de hominibus dictum indicat, per quem quis aliquid faciat. Cujus usus duo exstant exempla, e quibus unum invenitur Choeph. 615 ἐχθρῶν ὑπαὶ φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον. Alterum vero exemplum legitur Suppl. 934 οὔτοι δικάζει ταῦτα μαρτύρων ὕπο Ἄρης, quod Kruse interpretatur »*fürwahr es richtet Ares solches Streiten nicht durch Zeugen*».

Adn. 2. Nonnumquam præpositio, per quem aliquid efficiatur, indicans ex adjectivo vel substantivo suspenditur verbo, e quo ὑπό pendet, omisso. Ac primum quidem exempla afferam, in quibus ὑπό adjectivis adjungitur. Quo usu præpositio semel de animali dicitur Choeph. 532 ἄτρωτον οὖθαρ ἦν ὑπὸ στύγους. Semel autem ὑπό ita de rebus usurpatur Pers. 817 τόσος γὰρ ἔσται πέλανος αἱματοσταγὴς — Δωρίδος λόγχης ὕπο. Deinde afferenda sunt exempla, in quibus ὑπό cum substantivis abstractis conjungitur. Quo usu ὑπό duobus locis de hominibus dicitur Sept. 1024 ἄτιμον εἶναι δ' ἐκφορᾶς φίλων ὕπο. Choeph. 944 ἀναφυγὰς κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν.

c) Alia vero est tralatio, qua præpositio indicat, qua causa ductus aliquis aliquid faciat, quum ὑπό *propter* vel *præ* interpretamur. Cujus usus duplex est ratio.

1) Neue Jahrbücher für Philologi und Pädagogik, von Fleckeisen und Masius, 7:te Heft. 1883 p. 444.

2) Quo loco Mediceus a prima manu præbet ἀφ' ὅτου, quam scripturam accipiendam censet Weil; tamen ὑφ' ὅτου Hermann et Dindorf legunt.

α) Una est notio, qua præpositio ad eas causas exprimendas usurpatur, quæ ex vi atque natura animi sumuntur.

Ex. Ac primum quidem *ὑπό* ita de lætitia animi dicitur Ag. 541 *ὥστ' ἐνδακρύειν γ' ὄμμασιν χαρᾶς ὕπο.* ibid. 587 *ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο.* Deinde *ὑπό* de dolore animi usurpatur Pers. 835 *ὑπ' ἄλγους λακίδες ἀμφὶ σώματι στημορραγοῦσι.* Eum. 183 *μὴ — ἀνῇς ὑπ' ἄλγους μέλαν' ἀπ' ἀνθρώπων ἀφρόν.* De dolore corporis autem dicitur Pers. 484 *ὑπ' ἄσθματος κενοί.* Tum de fiducia animi usurpatur Pers. 372 *τοσαῦτ' ἔλεξε κάρθ' ὑπ' εὐθύμου φρενός.* Porro *ὑπό* de ignavia dicitur Pers. 755 *τὸν δ' ἀνανδρίας ὕπο ἔνδον αἰχμάζειν.* Denique de benevolentia usurpatur Choeph. 857 *ὑπὸ δ' εὐνοίας πῶς ἴσον εἰποῦσ' ἀνύσωμαι.* Postremo præpositio ita de ignorantia usurpatur Suppl. 499 *καὶ δὴ φίλον τις ἔκταν' ἀγνοίας ὕπο.*

β) Alia vero est significatio, qua præpositio ad eas causas indicandas usurpatur, quæ exstrinsecus assumptæ extra nos positæ sunt.

Ex. Primum quidem *ὑπό* ita de rerum necessitate dicitur Sept. 286 *πρὶν — ταχυρρόθους λόγους ἱκέσθαι καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.* Suppl. 1032 *μηδ' ὑπ' ἀνάγκας γάμος ἔλθοι Κυθέρειος.* Deinde *ὑπό* de nuntio allato usurpatur Choeph. 741 *δόμοις δὲ τοῖσδε παγκάκως ἔχει φήμης ὑφ' ἧς ἤγγειλαν οἱ ξένοι.* Ag. 475 *πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου πόλιν διήκει θοὰ βάξις.*

d) Alia autem est tralatio, qua præpositio indicat, quibus comitantibus aliquis aliquid faciat.

Ex. Ac primum quidem *ὑπό* ita de hominibus dicitur Suppl. 238 *χώραν οὐδὲ κηρύκων ὕπο ἀπρόξενοί τε — μολεῖν ἔτλητε,* ubi *κηρύκων ὕπο* interpretamur *præconibus comitantibus*. Deinde *ὑπό* de *rebus* dicitur Eum. 1006 *σφαγίων τῶνδ' ὑπὸ σεμνῶν κατὰ γῆς σύμεναι,* quod Franz interpretatur »*geht unter dem Sühnopfer, das euch dampft, in die Erdschlucht*«. Tum præpositio ita de substantivo abstracto usurpatur Ag. 1554 *καταθάψομεν οὐχ ὑπὸ κλαυθμῶν τῶν ἐξ οἴκων.*

Corrigenda.

p.	3	v.	33	*ίζει*	scribe	*ἵζει*
»	4	»	10	*τοίοδε*	»	*τοῖοδε*
»	7	»	4	*ἀμὰχανον*	»	*ἀμάχανον*
»	8	»	20	*ἧμέρᾳ*	»	*ἡμέρᾳ*
»	10	»	11	svetice	»	svethice
»	10	»	32	*ἀνακτι*	»	*ἄνακτι*
»	12	»	9	indicant	»	indicare
»	12	»	32	*ἐμόι*	»	*ἐμοὶ*
»	13	»	12	*γομφοδὲτω*	»	*γομφοδέτῳ*
»	14	»	8	*αλκᾷ*	»	*ἀλκᾷ*
»	14	»	31	*μελαίνα*	»	*μελαίνᾳ*
»	15	»	3	*δίκα*	»	*δίκᾳ*
»	15	»	17	*τὸνδ'*	»	*τόνδ'*
»	15	»	20	*δίκῃ*	»	*δίκῃ*
»	16	»	31	Thäligkeit	»	Thätigkeit
»	20	»	35	*χρῆσειν*	»	*χρήσειν*
»	22	»	37	»Cfr quæ supra adnotavimus», hæc verba sunt delenda.		
»	24	»	25	est	scribe	sit
»	24	»	36	*σιμπορὰν*	»	*συμφορὰν*
»	26	»	9	panca	»	pauca
»	30	»	16	*ἔλπίς*	»	*ἐλπίς*
»	30	»	22	*πρόs*	»	*πρὸς*
»	33	»	2	*πατὲῤ*	»	*πατέρ'*
»	34	»	15	*Ἄρῃ*	»	*Ἄρη*
»	35	»	11	*πιρὸς*	»	*πυρός*
»	36	»	34	s. voce	»	(s. voce
»	40	»	7	Eum	»	Eum.
»	42	»	2	*ἕσμεν*	»	*ἐσμέν*
»	43	»	26	*δεξιά*, (i. e. *dextrorsus*)	»	*δεξιά* (i. e. *dextrorsus*).
»	44	»	4	Stüts-punkte	»	Stütz-punkte
»	44	»	23	Aeshylum	»	Aeschylum
»	44	»	27	Eragm.	»	Fragm.
»	45	»	2	Pers	»	Pers.
»	45	»	3	Eum	»	Eum.
»	47	»	18	Porstremo	»	Postremo
»	47	»	28	*ἐπί*	»	*ἐπὶ*
»	48	»	14 et 15	notisssimum	»	notissimum
»	49	»	4	*χεῖῤ*	»	*χεῖρ'*
»	57	»	13	exstrinsecus	»	extrinsecus.